Collegij Romani · Cat. ms cr. · 1

DISPVTATIO
De Maieſtate hominis Chriſti,

IN CELEBRI ACADEMIA INgolſtadiana ad normam veræ piæq; doctrinæ per Theſes explicata, aduerſus impias Iacobi Andreæ Schmidelini Theſes, de hac eadem hominis Chriſti Maieſtate, Tubingæ propoſitas publicéq; defenſas.

Bibl. Secr · Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Aequus iudicet Lector, & ueritatem contra falſitatem ingenuè tueatur.

EXCVDEBANT VVEISSENhornij fratres Ingolſtadij 1564.

B S

PRÆFATIO.

CIRCVMFERVNTVR dogmata quædam, autore Schmidelino, de Maieſtate hominis Chriſti, non quæ Apoſtoli docuerunt, ſed noua planè & pernitioſa, & cum Chriſti, Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum, Confeſſorum, & cum omnium deniq; totius eccleſię Catholicæ Patrum doctrina ex diametro pugnantia. Quoniam verò Apoſtolus grauiter mo- Hebræ. 13.
net, ne doctrinis varijs & peregrinis abducamur, iubétq; doctrinam, quæ ſecundum 1.Tim.6.
pietatem eſt, tueri ſaluam in eccleſia: operam nos, neq; inutilem, neq; à profeſsione noſtra alienam, ſumpturos exiſtimauimus, ſi aduerſus nouos et impios Schmidelini errores, veram & orthodoxam Eccleſiæ ſententiam vindicaremus. Proponimus ergo

Theſes, ut ille fecit, ſed meliore fide tractaturi graue hoc & ſcitu dignum Argumentum. Ac duplicem quidem ordinẽ theſium poſuimus, ut primùm haberet lector totius negotij, quod pleriſq; forſan obſcurum videbitur, neceſſariam explicationem: deinde verò, ut de Schmidelini ineptijs, imò aperta & horrenda impietate, boni omnes rectius iudicarent. Quare theſes alias explicatorias, alias confutatorias fecimus.

Hunc noſtrum laborem quiſquis es veritatis ſtudioſus boni ut conſulas per Chriſtum rogamus. Ingolſtadij calendis Iulij, Salutis Anno Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo quarto.

EX

EX VINCENTIO LYRINENſi Antidotum aduerſus profanas hæreſum nouitates.

CVM PRIMVM MALI CVIuſq; erroris putredo erumpere cœperit, et ad defenſionē ſui ſacræ legis uerba furari, eáq; fallaciter & fraudulenter exponere: ſtatim interpretando Canoni, maiorum ſententiæ congregandæ ſunt, quibus illud quodcunq; exurgat nouitium, ideóq; profanum, & abſq; ulla ambage prodatur, & ſine ulla retractatione damnetur. Sed eorum duntaxat patrum ſententiæ conferendæ ſunt, qui in fide & communione Catholica, ſanctè, ſapienter conſtanter uiuentes, docentes & permanentes, uel mori in Chriſto fideliter, uel occidi pro Chriſto fœliciter meruerunt.

EX EODEM VINcentio.

HAEretici diuinæ ſcripturæ teſtimonijs utuntur, et uehementer quidem. Nam uideas eos uolare per ſingula quæq; ſanctæ legis uolumina. Siue enim apud ſuos, ſiue alienos: ſiue priuatim, ſiue publicè: ſiue in ſermonibus, ſiue in libris: ſiue in conuiuijs, ſiue in plateis: nihil unquam penè de ſuo proferunt, quod non etiam ſcripturæ uerbis

adumbrare conentur. Et paulo poſt: Sed cum cœperint illas uoces, non iam proferre tantùm, ſed etiam exponere: nec adhuc iactare ſolùm, ſed etiam interpretari: tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligitur: tunc nouitium uirus exhalatur: tunc profanæ nouitates aperiuntur: tunc primùm ſcindi ſepem uideas: tũc transferri Patrum terminos: tunc Catholicam fidem cædi, tunc Eccleſiaſticũ dogma lacerari. Tales erãt hij, quos percutit Apoſtolus Paulus in ſecunda ad Corinth. dicens: Nam eiuſmodi, inquit, Pſeudoapoſtoli, operarij ſubdoli, transfigurant ſe in Apoſtolos Chriſti. Quid eſt, transfigurant ſe in Apoſtolos Chriſti? Proferebant Apoſtoli Pſalmorum autoritates, proferebant & illi: proferebant Apoſtoli ſententias Prophetarum, & illi nihilominus proferebant. Sed cùm ea, quæ ſimiliter protulerant, interpretari non ſimiliter cœpiſſent, tunc ſimplices a ſubdolis, tunc infucati a fucatis, tunc recti a peruerſis, tunc poſtremò ueri Apoſtoli à falſis Apoſtolis diſcernebantur.

THESES

THESES EXPLICATORIÆ DE MAIEſtate Hominis Chriſti.

I.

CVM OMNIS HÆC de Maieſtate hominis Chriſti diſputatio ex hypoſtatica duarum naturarū in Chriſto unione peti debeat & intelligi, res ipſa poſtulare uidetur, ut ante omnia diſcrimen, quod inter hypoſtaſin & naturam intercedit, hoc loco repetamus & animaduertamus. Quod ſane diſcrimen ſi negligatur, non minus erit nobis periculi, quàm plærisq; accidit in illo ueterum Hæreſiarcharum albo, qui inter hypoſtaſin & οὐσίαν nō diſtinguentes, in uarios, eosq; pudendos & impios errores impegerunt. Euſebius H. E. lib. 10. c. 29. Theodoretus contra Sabellium.

2. Sic Arrhiani dum ex perſonarum Trinitate, naturarum Trinitatem inferunt: Filium à Patre, & Spiritū ſanctum ab utroq; ἑτεροούσιον aſtruunt. E diuerſo Sabelliani quoniam ex una τριάδος οὐσία unam ſubinde hypoſtaſin colligunt, nō ſolum Filium, ſed & Patrem & Spiritumſanctū incarnatos ac paſſos eſſe cōfingunt. Sic & Neſtoriani, dum ex duabus Chriſti naturis duas in Chriſto hypoſtaſes faciūt, non καθ' ὑπόστασιν, ſed κατὰ συμβεβηκὸς Damaſ. lib. 3. c. 3. Boë. in lib. de duab. natu. S. Maximus in quadam oratione Anaſtaſius Monachus Sinai.

συμβεβηκὸς Deum cum homine coniungunt. Contrà uerò, Eutychiani, dum ex una Chriſti hypoſtaſi unam quoq; naturam deducunt, unam tantũ ὀυσίαν, quemadmodum & unam perſonam in Chriſto Domino conſtituunt atq; definiunt.

3. Nec ſanè diſsimilis fuit Monothelitarum inſcitia, qui dum unam duntaxat in Chriſto perſonam contra Neſtoriũ: duas uerò naturas, contra Eutychetem rectè profitentur: rati tamen, ad perſonæ unitatẽ, proprietatis quoq; & operationis unitatẽ eſſe neceſſariã, quò Neſtorij hæreſin declinent, unam tantùm utriuſq; naturæ proprietatem atq; operationem, ob perſonæ unitatem in Chriſto conſtituunt, atq; ita utriuſq; naturæ proprietates non minus imperitè quàm impiè confundunt.

4. Quamuis uerò natura, ſubſtantia, eſſentia ſeu ὀυσία (quæ promiſcuè in hac tractatione, ueterũ more, paſsim uſurpabimus) uarias ſortiantur ſignificationes, ſi quis exactè nomina perueſtiget, hic tamen pro eo ſumuntur, quod definitione, qua, quid res eſt, explicatur, comprehenditur.

Hiero. in Symb. explanat. ad Damaſum.
Baſilius contra Eunomium.
Theodoretus cõtra Sabellium.
Damaſcenus. lib. 3. c. 3. & 4.
Euſebi. H. E. lib. 10. c. 29.
Talaſsius Hecaton. 4.
Anſelmus de incarnat. uerbi. c. 5. &c.

5. Natura itaq; ſeu ὀυσία ab hypoſtaſi, quã Latini Theologi perſonæ uel ſubſiſtentis nomine ſolẽt appellare, eò diſtinguitur, quòd natura ſolam rei quidditatẽ complectitur, quę ex ſe quidem multis indiuiduis eſt cõmunis, totámq; ὀυσιώδη ſingulorũ perfectionẽ cõtinet, cuiuſmodi eſt, humanitas. Hypoſtaſis uerò dicitur indiuiduũ, quod à cæteris omnibus eiuſdẽ naturæ ſingularib⁹, quadã proprietate diſcretũ, ita per ſe & in ſe exiſtit, ut nulla ratione in altero ſuſtentetur, aut ſuſtẽtari queat, ut Petrus Iohannes &c.

6. Vbi

6. Vbi ne uocum ὁμωνυμία generet obſcuritatem, accuratè diſcernendum eſt inter eas proprietates, quas προσωπικὰς, et eas, quas οὐσιώδεις uocant. Nam in explicatione perſonæ, non de eſſentialibus, ſed de perſonalibus locuti ſumus.

7. Ex hac porrò diſtinctione id comprimis manifeſtum euadit, qua nam ratione, unam quidē οὐσίαν contra Arrhium, & tres hypoſtaſes contra Sabellium, in ſacroſanctaTriade profiteamur: eò nimirum, quòd una tantùm eadémq; ſimpliciſsima in auguſtiſsimo illo Trinitatis myſterio communis eſſentia reperiatur, quæ totam in ſe deitatis continet perfectionem: tres uero proprietates perſonales, quibus tres perſonæ conſtituuntur ac inter ſeſe diſtinguuntur. Conc. Nicæn. Cõſtantinopolit. 1. Epheſi. 1. Chalc. Conſtan. 2. & 3. Nicen. 2. Lateran. general. etc.

8. Veruntamen ſanctiſsimę Trinitatis ſacramentum planè eſt incomparabile, adeóq; rerum naturam, omnémq; mentis humanæ, imò & angelicæ capacitatem in immenſum excedit, in eo, quòd eſſentia illa in tribus diuinis perſonis ſubſiſtens, nō ſpecie aut ſola ratione, una, ſicut in creaturis uſu uenit, ſed una ſit penitus atq; ſimpliciſsima. Damaſ. lib. 1. c. 11. etc.

9. Hinc & illud fit perſpicuum, aliud eſſe, quædam in unam eandémq; naturam uniri, aliud uerò in perſonæ unitatem coagmentari. Illa ſiquidem in natura dicimus unita, quæ in una conueniūt οὐσίᾳ, ſiue id fiat abſq; ulla cōcretione, miſtione aut conuerſione, ut in diuinis perſonis inuenitur: ſiue ſola compoſitione, ut in hominis ex anima & corpore conſtitutione: ſiue deniq; intercedente mixtione aliqua, confuſione aut conuerſione, ut in elementorū tranſmutatione & mixtorum productione accidere conſtat.

10. At uerò illa in hypoſtaſi unita eſſe dicimus, quæ ad eum modum ſunt coniuncta, ut eâdem prorſus exiſtant ſubſiſtentia: Cuius generis eſt animi atq; corporis in uno aliquo homine compoſitio. Præterquam enim quòd hæc tanquam partes eſſentiales ad naturæ unius perfectionem coëunt, in una quoq; perſona connectuntur, cùm una utriq; communis ſit ſubſiſtentia.

11. Iam uerò ut ad rem ipſam aliquantò propius accedamus, uerámq; & Catholicam de duarum naturarum in Chriſto unione ſententiam explicemus. Credimus inprimis, unanimiq; conſenſu profitemur Chriſtiani, duas naturas, diuinam, inquam, & humanam in uno Chriſto hypoſtaticôs unitas eſſe: eam autem unionem ideo cum ſancta & Apoſtolica Eccleſia hypoſtaticam ſeu perſonalem appellamus, quòd duæ illæ naturæ ſecundùm ſubſiſtentiam in Chriſto unitæ ſint, ut ſacroſanctę generales Synodi iampridem definíere. Sic enim in Epheſina Synodo decretum eſt: Carni ſecundum ſubſiſtentiam unitum eſt Dei Patris uerbum. Et in quinta Synodo generali: Sancta uerò Dei Eccleſia, utriuſq;, ſcilicet Neſtorij & Eutychetis perfidiæ impietatem eijciens, unitionem Dei uerbi ad carnem ſecundùm compoſitionem confitetur, quod eſt ſecundùm ſubſiſtentiam. Et ſequenti Canone: Si quis non confitetur Dei uerbum carni ſubſiſtentialiter uniri, & propterea unam eius ſubſiſtentiam uel unam perſonam, & ita ſanctam Chalcedonenſem Synodum unam ſubſiſtentiam Domini noſtri IESV Chriſti confiteri, talis anathema ſit. In Decretis etiam Synodalibus Martini primi

In epiſt. ad Neſtoriū & Anat. 1.

c. 4.

c. 5.

ni primi

hi primi ſic habetur: Si quis non confitetur ſecundum- c.5.
ſanctos Patres propriè & uerè ex duabus naturis Dei-
tate & humanitate ſecundum ſubſiſtentiam unitis, in
confuſè & indiuiſè eundem & unum Dominum no-
ſtrum IESVM Chriſtum eſſe, ſit condemnatus. Et in
ſexta Syn. ſic legitur: Aſſerimus duas eius eſſe naturas Act.17.
in una eius radiantes ſubſiſtentia. Ad eundem ſanè
modum cæteræ Synodi & Patres unionem perſona-
lem intellexerunt.

12. Nec ita tamen naturas illas in una hypoſtaſi uni-
tas exiſtimare decet, quaſi ex duabus ſubſiſtentijs, hu-
mana uidelicet & diuina, tertia coaluerit aliqua, quæ
partim diuina ſit, partim humana: Non enim adiectio-
nem perſonæ uel ſubſiſtentiæ (ut cum quinta Syno-
do loquamur) ſancta Trinitas ſuſcepit ex incarnato c.5.
Dei uerbo, ſed una eſt duntaxat eadémq; indiuidua in
Chriſto domino ſubſiſtentia, ipſius nimirū Verbi pro-
pria, quæ propter immenſam Verbi perfectionem atq;
uirtutem, hypoſtaticós humanam ſuſtentat naturam,
quam propria (ut ſic dicamus) perſonalitate deſtitu-
tam, ſibi aſciuit atq; cõiunxit. Vnde Damaſcenus: Ipſi- lib.3.c.9.
us Verbi hypoſtaſis, utriuſq; naturarum hypoſtaſis
exiſtens, nullam inſubſiſtentem eſſe permittit, néq;
alterius eſſe hypoſtaſeos. Neq; quandóq; quidem
huius, quandóq; uero illius, ſed ſemper utriuſq; in-
diuiſibiliter & inſeparabiliter eſt hypoſtaſis: tota
huius, & tota illius, impartibiliter & pleniſsimè. Non
enim in propria ſubſiſtentia ſuſtentata eſt Dei uer-
bi caro, neq; in alia hypoſtaſi facta eſt, q̃ in Dei uerbi
hypoſtaſi, ſed in ipſo ſuſtentata & ſubſiſtens potius,

neq; ſecundum propriam ſubſiſtens hypoſtaſin facta eſt. Quapropter neq; inſubſiſtens eſt, neq; Trinitati ſuperaddit hypoſtaſin. Hæc ille.

13. Atq; hinc iam abſq; ulla difficultate intelligitur, quanta humanitatis cum diuinitate ſit unio. Nõ enim tanta eſt, quanta trium perſonarum in una eſſentia diuina, neq; tam parua etiam quàm ea eſt, quæ in ſolius gratiæ, gloriæ, uirtutis, autoritatis, dignitatis aut poteſtatis communicatione conſiſtit, aut quæ alio quouis accidentario modo efficitur. Namneq; perſona, in qua uniuntur, neq; naturæ ipſæ, accidens aliquod cenſeri debent aut poſſunt.

Syno. Ephe. Cõſtant. etc. Alexander.

14. Imò ſi rem, in qua unio hæc facta eſt, penitius intueâre, haud facilè parem in rerum natura comperias unionem. Etenim diuina illa ſubſiſtentia, in qua naturæ conueniunt, ſi perſe conſideretur, rerum omnium, quæ exiſtere poſſunt, eſt ſimpliciſsima: quamuis ſi naturas ipſas unitas ſpectes, compoſita quodammodo dici queat, eò quòd in duabus ſubſiſtat naturis.

15. Eſt autem hæc unio uſq; adeo ſingularis, ut nullo prorſus exemplo ſatis commodè explicari queat. Nam licet unio animi cum corpore, ut cætera omittâmus, nonnullum cum diuina illa unione affinitatem habere uideatur, & idcirco ad eandem explicandam à ſanctis Patribus interdũ aſſumatur, quatenus in utraq; unione duę res diuerſæ in una hypoſtaſi ſine ulla mixtione, confuſione ac conuerſione ſuſtentantur: tamen ſi rem omnem rectè perpendas, longiſsimo hæc diſtant interuallo: animus enim & corpus nequaquam integræ & perfectæ ſunt eſſentiæ, ſed unius eſſentiæ partes;

Athan. in Symb. Synodus Ephe. Cyril. de Incarn. August. tract. 78. ſuper Ioan. Gregorius Nazi. Epi. ad Celidoni. Lyrinen. Damaſ. lib. 3. c. 3. etc.

partes: diuina uerò & humana natura in Chriſto, eſſentiæ ſunt, ſic integræ atq; perfectæ, ut nulla ratione unam tertiam eſſentiam abſoluere poſsint.

16. Hæc quibuſdam erunt obſcura fortaſſe, ſed ſcitu ſanè digna, ut ex hac perſonalis unionis explicatione confutetur impius Sabellius, & intelligatur nō Patrē, qui ſolus ingenitus eſt, nec a Spiritumſanctum, qui ex patre [a] Filióq; procedit, ſed ſolū Filiū, Dei [b] uerbū, Deum uerum de Deo uero, genitum, nō factum, Patri ὁμοούσιον, in plenitudine temporis hominem factum eſſe, nobis non modo ὁμοούσιον, ſed etiam per omnia ſimilem abſq; peccato, eúmq; ſolum pro nobis paſſum fuiſſe.

a Concil. Epheſi. in Epiſt. ad Neſtorium. Lateran. Lugd. Floren. Toletan. 3.4.6.8.11. Brach. 3. Anglic. 2. Hormiſda Epiſto. 1. Leo. 1. Epiſt. 91. Athana. ſermone de imagine Ieſu in Beryto recitato in 7. ſinodo actio. 4. & in ſymbolo. Hilarius lib. 2. de Trinitate. Didymus. lib. 2. de Spirituſancto. Ambro. lib. 1. de Spiritu ſancto. c. 10. Baſilius contra Eunom. August. lib. 15. de Trinitat. c. 26. Epiphp. in ſermone angyroto &c.

17. Nam etſi una omnino Patris & Filij & Spiritus ſancti οὐσία ſit & ἐξουσία, Maieſtas quoq; & dignitas, [c] nō tamē in eſſentia aut quacunq; eſſentiæ perfectione ſiue eſſentiali aliqua proprietate (quæ omnia toti Trinitati ſunt cōmunia) ſed in ſoli⁹ Filij hypoſtaſi, qua à patre & Spirituſancto re ipſa diſtinguitur, unionem illam factam eſſe cuncti in Eccleſia profitentur.

b Ioā. 1. Galat. 4. Hebræ. 2. 4. Con Nicenum; Cōſtātino. 1. 2. 3. Ephe. 1. Chalce. &c.

18. Quòd ſi in ſola eſſentia aut in eſſentiali aliqua perfectione unio illa facta fuiſſet, tota utiq; Trinitas incarnata (quod ſentire ſit nefas) pari ratione affirmaretur: cum eſſentia & quæuis eſſentialis perfectio in tribus illis perſonis ex æquo reperiatur.

c Cō. Tolet. 6. c. 1. Vbi ſic habetur, ſolus Filius ſuſcepit humanitatē in ſingularitate perſonæ, id eſt, in eo quod propriū eſt Filio, non quod commune eſt Trinitati.

19. Liquet etiam ex iam dictis inſaniuiſſe Neſtoriū Neſtorianiq; dogmatis ſectatores omnes, cōtra quos cum Epheſina Synodo apertè profitendū eſt, nō duas Chriſti perſonas, aut duos filios, alterum uidelicet Dei, alterum Virginis Matris, totidémue Chriſtos, ſed unā

Vide Lyrinen. prope finem, ubi connumerat Patres, quorū beata illa Synodus doctrinam tenens de fidei regulis pronunciauit.

duntaxat perſonam, unum Filium, unumq; Chriſtum, qui uerus Deus & uerus homo ſit, conſtituendum & adorandum eſſe: quia non duas, ſed unam tantummodo hypoſtaſin in eodem Chriſto agnoſcimus ac ueneramur.

20. Ex his præterea, confirmamur in Chriſtiana & neceſſaria confeſsione, quam approbauit ſacra Chalcedonenſis Synodus cõtra Eutychetem, nimirũ: Vnigenitum Dei filium in duabus naturis inconfuſè, inconuertibiliter, indiuiſè, inſeparabiliter exiſtere, nunq; ſublata differentia naturarum propter unionem, ſed potius ſalua utriuſq; naturæ proprietate. Quandoquidem non cõuerſione diuinitatis in carnem, aut carnis in diuinitatẽ, ſed aſſumptione humanitatis in Deum, non confuſione, aut transfuſione ſubſtantiæ, aut unius tertiæ naturæ cõpoſitione, ſed unitate perſonæ, ſiue ſubſiſtentiæ, unus eſt manẽtq; Chriſtus, in duabus ſubſiſtens naturis.

21. [a] Itaq; ſicut in Deo una eſt ſubſtantia & tres perſonæ: ita in Chriſto una eſt perſona & duæ ſubſtantiæ ſiue naturæ.

22. [b] Ex quo illud etiã cõtra Monothelitas euidenti ratione conſequitur, ut, quemadmodum in Domino noſtro Ieſu Chriſto duas naturas indiuiſè inconuertibiliterq; unitas eſſe confitemur, ita & duas proprietates duáſq; naturales operationes (ut ſextæ Synodi uerbis utamur) indiuiſè, inconuertibiliter, inconfuſè, inſeparabiliter, in eodem Chriſto agnoſcere debeamus, ac uenerari, alteram uidelicet humanam, alteram uerò diuinam.

Syno. Eph. 1. Conſt. 2. Athan. Symbolo. Auguſt. 1. de Trin. c. 7. Lyrinenſis: Damaſ. lib. 3. c. 2. Alcuin. lib. 2. de Trinita. c. 1. &c.
a Lyrin. Dama. 3. lib. c. 5. Maximus de duabus Chriſti naturis. Leontius Bizan. c. 10. contra Seuerum.
b Pſal. 134. Math. 26. Marci. 7. 14. Lucæ. 2. 22. Philip. 2. Hebræ. 2. &c. Conſtan. 1. c. 7. Martinus. 1. in his decretis Synod. c. 9. Vide Epiſtolam Agathonis receptam in 6. Synodo. ubi citat. Ambro. Auguſt. Dioni. Areo. Leonem. 1. Grego. Naz. Atha. Gregori. Nyſſ. Chryſo. Cyrill. Hilar. &c.

23. Quod

23. Quod profectò Monothelitæ minimè negauiſſent, ſi Philoſophiæ præceptionibus mediocriter ſaltem fuiſſent inſtructi. Nam ratione naturali perſpicuum eſt, eſſentiales ſeu naturales proprietates ac operationes, nō ex perſonæ, ſed ex naturæ ſeu formæ unitate & diſtinctione, unitatem & diſtinctionem ſortiri. Id q̊d ſupernaturali quoq; Trinitatis exemplo apertè confirmari poteſt, ubi propter naturæ unitatem, una eſſentialis proprietas unáq; operatio in tribus illis ſacroſanctis perſonis reperitur, ſecundùm illud Theologicum axioma: Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa.

Con. Tolet. 6. c. 1. Tolet. 11. in profeſſi. fidei. Augu. 1. de Trin. c. 4.

24. Atq; hinc rurſus manifeſtum euadit, de neutra in Chriſto natura alterius proprietates dici poſſe, manet enim inconfuſa in Chriſto tam carnis, quàm diuinitatis proprietatum contemplatio, cùm utraq; natura abſq; ulla confuſione, mixtione aut conuerſione proprietates ſuas diſtinctas omnino incoluméſq; retinuerit.

Damaſce. lib. 3. c. 4. Gregorius Nyſſ. tomo 5. contra Eunomium.

25. Quapropter ſicut humanitas, diuiniſsima hac unione diuinam naturam non reddidit infirmam: íta nec natura diuina humanitatem omnipotentem effecit, cùm nec forma ſerui, Dei formam in Chriſto ademerit, nec forma Dei formam ſerui minuerit, ut D. Leo eleganter dixit.

Epiſtola ad Flauianum in Chalcedo. Synod. recepta quæ eiu dē eſt cū Synodo ipſa authoritatis. Syno. Ephe. Anathem. 4. &c.

26. Verum quamuis poſt admirandam hāc unionē duæ in Chriſto naturæ earúmq; proprietates, diſtinctę impermixtęq; perſtiterint, tamē, quoniā una eſt perſona Chriſti in illis duabus naturis ſubſiſtens, eidem Chriſto uelut uni eidémq; perſonæ aſcribimus uoces

omnes

omnes, tam diuinas quam humanas, quæ uel in Euangelicis, uel Apoſtolicis ſcripturis, uel in Patrum monumentis paſsim reperiũtur: tametſi inter ſe pugnare uideantur, & reuera pugnent, propter naturarum, quas concernunt, diuerſitatem.

Con. Hiſpal. 2. c. 13. Ambro. lib. 2. de fide ad Grat. Impera. c. 4. Augu. 1. de Trin. c. 7. Epiſto. ad Dardanum. Leo. Epiſto. 95. Lyrinen. Damaſce. lib. 3. c. 3. & 4. Cyril. Ioan. 3. Beda Ioan. 3. Theophilac. & Rupertus, &c. ibidem.

27. Et hæc ipſa perſonæ unitas, in cauſa eſt, ut quæ Dei ſunt propria, ſæpe in ſcripturis aſcribãtur homini: ea uerò quæ carnis ſunt propria, attribuantur Deo.

28. Vnde nõ poteſt nõ apertè conſtare, quòd uerè prorſus & Catholicè unus & idem Chriſtus, Deus & homo dicatur, idémq; mortalis & immortalis, Patri æqualis & minor Patre, Creator & creatura, omnipotens & infirmus, ubiq; exiſtens & certo loco circumſcriptus, æternus & in tempore natus. Demum ob hãc eandem perſonæ unitatem, & hominẽ Dei filiũ, Creatorem etiam & omnipotentem: e diuerſo uerò Deũ, Virginis Filiũ, paſſum quoq; & crucifixum, rectiſsimè confitemur. Non enim intereſt (inquit Leo) ex qua Chriſtus ſubſtantia nominetur: cùm inſeparabili manente unitate perſonæ, idem ſit & totus hominis filius propter carnem, & totus Dei filius propter unam cũ Patre deitatem.

In Epiſtola ad Paleſtinos.

29. Quæ cùm ita ſint non eſt Grammatica tantum, ſeu uerbalis ἰδιωμάτων κοινωνία in perſona Chriſti: in natura uerò, ne Grammatica quidẽ ſeu uerbalis fieri poteſt. Siquidẽ uni & eidem Chriſti perſonæ, in qua naturæ ſunt unitæ, utriuſq; naturæ attributa re ipſa conueniunt, cùm eadem ſit hypoſtaſis utriuſq; naturæ: in neutra uerò natura, alterius proprietates inſunt, ſed nec ineſſe queunt: cùm neq; in natura, neq; in naturæ

Idem qui ſupra.

proprietate

proprietate aliqua, unio aut confuſio facta fuerit, aut etiam fieri poſsit.

30. Accuratè ergo obſeruandum eſt, quæ nomina perſonam, & quæ naturam ſignificent, ne ex uerbis aut malè prolatis, aut falſò intellectis, error in re tanta pernitioſiſsimus fortè oriatur. Nam cùm hæc naturarum unio in perſona facta ſit, non in natura, nominibus non naturam, ſed perſonam ſignificantibus perpetuò utendum eſt ad idiomatum communicationem.

31. Propterea enim enunciationes hæ ueræ ſunt & catholicæ, homo eſt Deus, omnipotens, immortalis, impatibilis: Item, Deus eſt homo, infirmus, mortalis, patibilis: falſæ ſunt itidem hæ, ſimul & hæreticæ: humanitas eſt Deus uel deitas: humanitas eſt omnipotens, immortalis, impatibilis: Item, deitas eſt homo, uel humanitas: Deitas eſt infirma, mortalis. Nec id alia ſanè ratione, quàm quòd modò concretis, modò abſtractis utamur nominibus, quæ in concreto ſumpta ὑπόστασιν, in abſtracto uerò οὐσίαν ſignificant, ſi ad uim & proprietatem ſermonis attendamus. Vnde ſic ait Damaſcenus: Diuinitatem dicentes, non de illa nominamus ea, quę humanitatis ſunt propria, nec de carne, id eſt, humanitate prædicamus ea, quæ diuinitatis ſunt propria. Non enim dicimus deitatem aut paſsibilem aut creatam, nec dicimus carnem, id eſt, humanitatem increatam. At uerò de ὑποστάσει ſiue ex utráq;, ſiue ex una naturarum, eam nominemus, utriuſq; naturarum propria illi adijcimus. Hæc Damaſcenus. lib. 3. c. 4.

32. Cæterùm licèt uni & eidem Chriſti perſonæ,

utriuſq; naturæ proprietates & operationes, indiuiſè, & inſeparabiliter adſcribantur, tamen (ut rectè monet Leo) intelligendum eſt, & ſynceræ fidei contemplatione cernendum; ad quę prouehatur humilitas carnis, & ad quę inclinetur altitudo diuinitatis. Enimuerò neceſſe eſt (teſte Cyrillo) reddere Deo quæ ſunt Dei, & humanitati, quæ ei debentur, [g] ne id, quod creatum eſt ad diuinam deducentes eſſentiam, aut id, quod eſt diuinæ naturæ, ad locum qui creaturis congruit, deponentes, in aliquem incidamus errorem.

In Epiſt. ad Leon. Imp.

citatur ab Anaſtaſio Archiepiſ. Antioch. in 6. Synodo actio. 10.

g Cyril. 32. ſermone theſaurorũ.

33. Non enim alio ex fonte Arrhius, Paulus Samoſatenus, Photinus, & cæteri id genus hæretici ſuos hauſerunt errores, quàm ex præpoſtera peruerſáq; eorum intelligentia, quæ in Scripturis ſacris Chriſto attribuuntur: quòd neſcierunt aut noluerunt inter ea ſecernere, quæ ratione diuinitatis, & quæ ratione humanitatis, de uno eodémq; Chriſto paſsim dicta leguntur. Hinc Athanaſius contra Arrhium ſcribens: Vtriúſq; igitur naturæ opus (inquit) noſcentes & utraq; ab una perſona agi uidentes, rectè credemus, & nunq; errabimus. Nec aliud ferè idem beatus Pater contendit, quàm ut prædicta diſcretio inter Chriſti attributa conuenienter adhibeatur. Huc etiam illud S. Ambroſij ſpectat: Seruemus (inquit) diſtinctionem diuinitatis & carnis; unus in utraq; loquitur. Dei Filius, quia in eodem utraq; natura eſt: & ſi idem loquitur, non uno ſemper loquitur modo: intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis paſſiones, quia quaſi Deus, loquitur quæ ſunt diuina, quia Verbum eſt; quaſi homo, dicit quæ ſunt hu-

Augu. ſerm. 166.

lib. 4.

In diſput. contra Arrhium.

li. 2. de fide ad Gratia. Imp. ca. 4.

mana,

mana, quia in mea ſubſtantia loquebatur. Sic quoq; Grego. Nazian. ijs uerbis admonet: Vno autem capi-tulo moneo, ut altiora quidem adſcribas diuinitati, hu-miliora autem naturæ humanæ attribuas, quæ ex parte infirmitatis noſtræ aſſumpta eſt. Nec diſſentit his D. Auguſt. dicens: Diſtinguamus, quid in Scripturis ſo-net, ſecundùm formam Dei, & quid, ſecundùm for-mam ſerui. Quid autem, & propter quid, & quid ſecun dùm quid, dicatur, prudens & diligens & pius Lector intelliget. Et ibidem. Non itaq; immerito ſcriptura utrumq; dicit: & æqualē Patri Filium, & Patrem maio-rem Filio: illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam ſerui, ſine ulla confuſione intelligitur.

In ſermone de Filio. — *lib. 1. de Trinitate c. 12.* — *lib. 1. de Trin. c. 7.*

34. Et hic locum habet regula catholicæ fidei, cuius Beda poſt Auguſtinum meminit: Cùm aliqua in Scri-pturis dicuntur de Filio, quibus demonſtratur quòd Patre ſit minor, ea ſecundum humanitatem intelligan-tur. Cùm uerò ea dicuntur, quibus Filius Patri de-monſtratur æqualis, ſecundùm quòd Deus eſt accipi-antur, nec aliter ſanè Patres omnes docuere.

1. ad Cor. cap. 14. 1. de Trin. ca. 11.

35. Ex quibus omnibus manifeſtè deducitur, eos gra-uiſsimè errare, naturarúmq; proprietates confundere, qui contra Patrum om̄ definitionē et conſuetudinem, uel humana diuinitati adſcribūt, uel humanitati diuina.

36. Supereſt ut concludamus ex ſuperioribus genui-nam, ſanam & orthodoxā de Maieſtate hominis Chri-ſti ſententiam, quæ breuiter in eo conſiſtit. Dominum noſtrum Ieſum Chriſtū, in forma Dei, æqualē eſſe cum Patre, imò eandem omnino gloriam, Maieſtatem, po-tentiam, ſapientiā, etc. ſicut & οὐσίαν communē habere,

Phil. 2.

Sapientiæ 8. eadémq; Maieſtate & prouidentia, qua Patrem, rebus omnibus & ſingulis, etiam minimis οὐσιωδῶς præſentem adeſſe. Sic Catholici credimus, & ingenuè profitemur.

lib. 2. ad Gratianum cap. 4. Vnde Ambroſius ait: Eadem Verbi gloria, eadem Patris gloria eſt, ſicut ſcriptum eſt: Phil. 2. cap. Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Ita igitur ſecundùm diuinitatem, Dei Filius ſuam gloriam habet, ut Patris & Filij una ſit gloria. Non eſt ergo minor in claritate, quia una gloria: non minor in diuinitate, quia plenitudo diuinitatis in Chriſto eſt.

37. Addimus etiam, eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, propter inexplicabilem illam, & arcanam naturarum unionem, nulla ratione ſecundùm Ioan. 14. humanitatem diuinitati æqualem euaſiſſe: quin potius non ſola eſſentia, ſed etiam gloria, Maieſtate, poteſtate cæteriſq; attributis omnibus & proprietatibus Deo minorem permanſiſſe: ut uniuerſi Patres, diuinis ſcripturis inſtructi, unanimi cõſenſu profitentur. Ita enim humana natura donis gratuitis in Chriſto exornata eſt, ut creaturæ tamen limites nullatenus exceſſerit.

38. Non tamen hinc ſequitur, in Chriſto Domino, nihilo plus dignitatis aut eminentiæ, quàm in quibuſlibet alijs hominibus inueniri. Nam inter diuinam illam altitudinem ſeu excellentiam, & eam dignitatem, quæ communi hominum generi obtingere ſolet, ſingularis quædam eminentia intercedit, quam ſoli Chriſto propter unionem illam hypoſtaticam, ſecundùm humanitatem, ut par eſt, attribuimus.

39. Nec eâ quidem ratione Chriſtum, ſecundum naturam aſſumptam, redigimus in ſanctorum angelo-

rum

rum aut beatorum hominum ordinem, ut eum illis ulla ex parte (quòd ad dona gratuita attinet) adæquemus. Abſit hæc impia ſuſpicio: quin illum ſingulari quadam gloria & honore coronatum, ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem, & ſuper omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, agnoſcimus ac ueneramur. Pſal. 8. Heb. 2. Ephe. 1. Phil. 2.

40. Nam ſolus is eſt primarium fundamentum, Caput omnis Eccleſiæ, Primogenitus in multis fratribus, in omnibus primatū tenens, Mediator Dei & hominum, in quo inſtaurata ac pacificata ſunt omnia, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris exiſtūt, Dominus omnium, Legislator & iudex uiuorum & mortuorum. Et ne multis. Solus is ita plenus gratia & ueritate, tantiſque ſpiritus S. donis repletus, tanta Maieſtate, gloria, poteſtate & autoritate cumulatus eſt, ut nulla gratia, nulla ueritas, nullū Spiritus S. donum, nec maior Maieſtas, gloria, poteſtas, aut autoritas in hac ipſa Chriſti humanitate deſiderari queat. Quippe quæ affatim ſortita ſit, quæ natura finita, qualis ipſa poſt perſonalem illam unionem permanſit, ſortiri aut capere poteſt. 1. Corinth. 3. Eph. 1. Rom. 8. Coloſſ. 1. 1. Tim. 2. Eph. 1. Rom. 10. Iacobi. 4. Acto. 11. Ioan. 1. Eſaiæ. 11. Lucæ. 4.

41. Quæ ſanè dignitas, & incomparabilis eminentia, quamuis ab immenſa Dei celſitudine, quàm longiſsimè diſtet, tamen in alia creatura nulla, quæcunque tādē illa ſit, locū ullū obtinet. In cæteris enim, etſi gratię & Spiritus ſancti dona reperiuntur, non tamē coaceruatim & cumulatim, ut in Chriſto, ſed diuiſim, & iuxta menſurā donationis Chriſti, de cuius plenitudine nos omnes accepimus. 1. Corint. 12. Eph. 4. Ioan. 1.

 42. Ex-

42. Excellit igitur Chriſtus ſecundum humanitatem Maieſtate, poteſtate, gratia & gloria, cæteriſq; donis gratuitis, creaturas omnes, & mirum in modum excellit, ſed manet nihilominus ſecundum eandem humanitatem creaturæ limitibus circumſcriptus, & minor patre, eidémq; ſubiectus, qui omnia ei dedit atq; ſubiecit.

Ioan.14. 1.Cor.15.

Matth.28. Ioan.3. Eph.1.

43. Atq; hæc eſt omnis illa ἐξουσία in cœlo & in terra, hic Spiritus non ad menſuram, hæc ſeſsio ad dexteram Patris, quæ Chriſto, quatenus homo eſt, attribui ſentiunt Orthodoxi.

44. Neq; tamen negamus ex his iam allatis Scripturæ locis uel alijs ſimilibus, æqualem cũ Patre poteſtatẽ, Maieſtatem, gloriam, aut quiduis aliud diuinæ naturæ propriũ Chriſto attribui poſſe, & à quibuſdã Patribus in explicatione Scripturæ attributum eſſe: Sed adhibeatur neceſſe eſt, Catholicæ fidei regula, quam ijdem Patres diligenter obſeruant, ut iſtiuſmodi omnia de Chriſto ſecundum diuinitatem interpretemur, ne perperam alioquin, quiſquis diuinitatis propria, humanæ naturæ admiſcuerit, utriuſq; naturæ proprietates, cum Monothelitis confundat. Atq; hactenus ſi fortaſſe prolixè, at certè quidem non inutiliter explicata ſunt, quæ ad Chriſti Maieſtatem & gloriam ritè cognoſcendam inprimis conferunt.

THESES

THESES CONFVTATORIÆ
ad impias Schmidelini opiniones diſ⸗
ijciendas & explodendas.

I.

NVnc ut alterum caput, quod in confutatione ad⸗
uerſariæ opinionis eſt poſitum, aggrediamur.
Non poteſt ſanè ullo modo cõſtare, quod Schmideli⸗
nus nouus Theologus nouis Theſib⁹ firmare & per⸗
ſuadere conatur, in quibus quid loquatur, aut de qui⸗ 1.Timo.1.
bus affirmet, prorſus ille non intelligit, ut ex his quę in
explicatorijs Theſibus conſtituimus ſatis conſtat, &
iamiam clarius euincemus.

2. Definit perſonalem unionem, ut ſit communica⸗ Theſi.20.21 24.34.
tio plenitudinis omnis Deitatis. De hac, inquit, Apo⸗
ſtolum ita loqui. In quo ſunt omnes theſauri ſapien⸗ 21.
tiæ & ſcientiæ abſconditi: Et iterum: In ipſo inhabitat
omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Plenitudi⸗ 20.
nem uerò diuinitatis uocat, totius præſentiæ Dei ſe⸗
cundum ἐνέργειαν in Chriſtum effuſionem, ita ut iam ex⸗
tra ipſum nihil, ſed in homine, & per hominẽ Chriſtũ
omnia in omnibus operetur. Et poſtea eandẽ diuini⸗ Theſi.8.
tatis plenitudinem appellat æqualitatẽ Maieſtatis, glo⸗
riæ & potẽtiæ cũ Verbo, ita ut humana in Chriſto na⸗ Theſi.19.
tura, non iam potens tantum ſit, ſed etiã omnipotens,
humana inquã, natura, nõ ſola diuina, propterea quòd
diuinitas realiter (ut ipſius uerbis nobis loqui liceat)
ſuas proprietates humanitati communicauerit, ſuáſq;
perfectiones in eam effuderit, & quaſi transfuderit, &
hac ſola ἰδιωμάτων κοινωνία hypoſtaticam unionem
definien⸗

Theſ.2. definiendam eſſe docet. Igitur ſi mirabilem huius autoris ſententiam recipiamus, nihil erit aliud hypoſtatica ſeu perſonalis duarum naturarum in Chriſto unio, quàm quædam totius energiæ diuinæ in humanitatem effuſio, aut quędam æqualis potentiæ, gloriæ & Maieſtatis communicatio.

3. His iactis porrò fundamentis, quæ ſunt uerè putrida, progreditur ad colligendum humanam Chriſti naturam, ex ui perſonalis illius unionis, eâdem omnino Maieſtate, qua diuinitatem, corporaliter ubiq; adeſſe præſentem. Vt omittamus alia eiuſdem farinæ deliramenta, quæ hic Neotheologus attexit poſteà, ut abſurdum unum ex alio deducat. (Theſ.34.)

4. Iam ad fabricandam hanc egregiã (ſi ſuperis placet) perſonalis unionis doctrinam, nullius Concilij definitionem, nullius Patris ſententiam, nullam rationem, autoritatem deniq; nullam, hic ſupercilij Artifex producit, ſed uno tantùm Scripturæ loco fraudulenter expoſito, hoc phantaſma ſuum adumbrare conatur, & non tam perſuadere, quàm fidei articulum ſua ſolius autoritate id efficere ſperat. (Coloſ.2. Theſ.21.)

5. Verùm, ut ſimul & imperitia & impietas noua coarguatur. Primùm oſtendemus iſtiuſmodi potentiæ & Maieſtatis unionem, aut plenitudinis diuinitatis communicationem, qualem ille fingit, minimè factam fuiſſe, imò ne fieri quidem ullo pacto potuiſſe. Tum ut cõcedamus factam illam fuiſſe, tamen eam nec perſonalẽ eſſe, nec ad perſonalem conſtituendã ſufficere docebimus. Poſtremò Chriſtum ſecundum aſſumptã naturam non ubiq;, ſed in cœlo tantùm, & in Euchariſtiæ

riſtiæ ſacramento præſentem adeſſe planum faciemus.

6. Quòd igitur humana in Chriſto natura parem aut eandem cum diuina potentiam, Maieſtatem, gloriam, aut quamuis aliam perfectionem ſortita non fuerit, ex eo manifeſtè conſtat, quòd naturæ poſt hypoſtaticam illam unionem, abſq; ulla permixtione, confuſione, aut conuerſione, proprietates ſuas ſaluas & diſtinctas retinuerint, ut ex Concilijs & Patrib. ſupra docuimus: ita nimirum, ut nec humanitati, diuinæ proprietates: nec diuinitati, humanæ adaptari queant. Id quod nulla cõſtare ratione poſſet, ſi diuina natura ſuas proprieta-tes humanitati communicaſſet, aut illas in humanita-tem effudiſſet aut transfudiſſet. Id enim alteri dicitur communicari, quod alteri commune efficitur. Id au-tem quod duobus ex æquo commune factum eſt, alte-rius proprietas dici non poteſt. Vnde non aliud pro-fectò ſacris Concilijs aut Patribus eſt, naturarum pro-prietates in Chriſto confundere (ut docti nórunt) quàm uel humanas aſſcribere diuinæ naturæ, uel edi-uerſò diuinas humanæ, uel eaſdem utriq; attribuere, quemadmodum iſte palàm facit.

7. Hoc uerò incommodum hic Theologaſter ſubo-doratus, errori ſuo patrociniũ aucupatur hac oratione. *Cum (inquit) dicitur, unionem duarum naturarum in Chriſto factam hypoſtaticam, ſeruatis utriusq; naturæ proprietatibus, ſobriè admodùm intelligendum eſt & explicandum. Neq; enim ita diuinitas Verbi ſua ener-gia, quæ ipſa eſt ſimplicißima, ſeſe intra ſe continet, ut nullam in naturam humanam quaſi transfundat perfe-*

Th. 23.

Th. 24.

 ctionem,

*ctionem, quin potius humanitatis plenitudinis omnis parti-
ceps diuinæ naturæ, duarum naturarum in Chriſto, hac
ſola ἰδιωμάτων κοινωνία, hypoſtatica unio definienda eſt.*
Hæc ille, fidus ſcilicet & ſobrius admodùm interpres,
qui lucem inferre uult uenerandis ſanctorum Patrum
& Conciliorum decretis: ſed clariora illa ſunt, quàm ut
aliena, & falſò emendicata luce indigeant, ut ex his, quę
In Theſibus explicatorijs. ſuprà copioſè citauimus ſatis conſtat. Quod ſi adhuc
plura et clariora deſideras teſtimonia, quæ ex diametro
cum huius Nouatoris doctrina pugnent, audi Hiero-
In Symb. expla. ad Dama. nimum ſic loquentem: Illorum quoque ſimiliter execra-
mur blaſphemiam, qui nouo ſenſu aſſerere conantur,
à tempore ſuſceptæ carnis, omnia quæ erant deitatis in
hominem demigraſſe, & rurſum quæ erāt humanitatis
in Deum eſſe transfuſa, ut quod nulla unquam hæreſis
dicere auſa eſt, uideatur hac confuſione, utraque exina-
nita ſubſtantia, Deitatis ſcilicet et humanitatis, et à pro-
prio ſtatu in aliud eſſe commutata. Hactenus ille. Audi
lib.3.c.4. iterum Damaſce: Diuinitatem, inquit, dicentes, non
de illa nominamus, quæ humanitatis ſunt propria:
neque de carne, ideſt, humanitate prædicamus ea, quæ
Deitatis ſunt propria. Hæc Damaſce. Sic quoque reliqui
Patres loquuntur.

8. Quod ut clarius intuearis, adde. Quòd ſi una ea-
démque in Chriſti Domini humanitate & diuinitate po-
tentia conſtituitur, una etiam conſtituenda erit opera-
tio. Rurſum, ſi diuina natura ſuas proprietates & attri-
buta in humanitatē effudit aut transfudit (ut iſte ſom-
Theſ.17.19. niat) ſequetur & illud neceſſariò, ut unū, cōmunémque
utriuſque naturæ intellectum & uoluntatem defenda-
mus,

mus, cum hæc ad naturales diuinę eſſentię proprietates pertineant, & unum & idem omnino cum omnipotentia exiſtant.

9. Quarè huius ſententia hac in parte non modo falſa eſt, uerùmetiam damnatam Monothelitarum hæreſin ſapit, cùm utriuſq; naturæ proprietates atq; operationes in Chriſto confundat impiè. Atq; hinc forſan accidit, ut cùm aliarum priſcarum, & iam olim profligatarum hæreſum in ſuis Theſibus meminerit, nullam tamen omnino Monothelitarum fecerit mentionem. Theſ. 1.5.22.25

10. Quòd autem uult diuinitatem per proprietatum ſuarum ſeu perfectionum communicationem, effuſionem, aut quaſi transfuſionē, humanæ naturæ eſſe coniunctam: Quid eſt hoc aliud tandem, quàm affirmare humanitatem in una aliqua, uel in omnibus diuinę naturæ perfectionibus, quæ tribus perſonis communes ſunt, diuinitati eſſe coniunctam?

11. Hic illi opponimus Oecumenica Concilia & orthodoxos Patres, quorū eſt una eadémq; ſemper in hac re ſententia, ex diuinarū ſcripturarum autoritate pendens, nimirum: Naturarum in Chriſto unionem, non ſecundùm eſſentialem aliquam diuinitatis perfectionem, toti trinitati communē, ſed ſecundùm ſubſiſtentiam, quæ uerbo propria eſt (ut ante quoq; non ſemel meminimus) factam eſſe. Epheſ. 1.2 Conſtan. etc.

12. Et quis inter Chriſtianos adeò ſit rudis rerúmq; omnium ignarus, qui creaturam ullam, quantalibet excellentia præditā, omnipotentē eſſe ſtatuat: aut in gloria & Maieſtate, aut in quacúnq; alia pfectione eā exæquet creatori? Facit hoc tñ Schmidelinus, dū humanam

 Chriſti

Theſ.2. Chriſti naturam, quam creaturam eſſe fatetur, non
Thes.26.27. ſolum in omnipotentia, ſed etiam in gloria, ſapientia,
Maieſtate,& autoritate,Patri Deo audet exæquare.

13. Nec intelligit,in quamcunq; tandē partē ſeſe pro
ripuerit,ſe captū & compręhenſum teneri,ut elabi non
poſsit,quin hac ſua καινοδοξία concedere conſtringatur,
duas eſſe naturas omnipotentes:duos item creatores:
Creaturam ipſam,creatorē eſſe,et omnipotentem:De-
niq; creatorē quendam recentem,& nouū in tempore
Gene.1. factum eſſe.Verū hæc oīa,cum expreſsis ſacrę ſcripturæ
Exo. 15. Pſal.61.80. teſtimonijs,cū Apoſtolorum,& Conciliorū Symbolis,
Eſai.42.43.45. 1.Timoth.5. & cū perpetuo totius Eccleſiæ cōſenſu planè pugnant.
Symb.Apoſtol. Athan.Niceno. Et ubi legas probatū ullum autorē,qui uel ſomniauerit
Conſt.Epheſ.etc. alium,præter Deum,creatorem & omnipotentē eſſe?

14. Quapropter pijs & mediocriter peritis rerū ſacra-
Ioan.1. rum,perſuaſum id ſemper fuit,Chriſtum ſecundum na-
turam diuinam,creatorem eſſe,& omnipotentem,per
Ibidem. Coloſ. 1. quem omnia facta ſunt:At ſecundū humanitatem non
Gal. 4. creatorem eſſe,ſed creaturam,non infinitæ uirtutis aut
Mar.14. Phili.2. omnipotentem,ſed infirmum,humilē,ſitientem,eſuri-
Ioan.4. Matt. 4. entem,flentem,tędio,pauori,ſudori,triſtitiæ,morti,ali-
Ioan.11. Lu. 19. iſq; miſerijs,& afflictionibus humanis obnoxiū, ut qui
Mar.14. Lu.22. uerè languores noſtros ipſe tulerit,& propter uiſcera
Mar.26. Eſa.53. miſericordię ſuę dolores noſtros in ſua carne portaue-
Luc.1. Hebr. 4. rit,ut à tyrannica dæmonis ſeruitute nos liberaret: ut
Ibidē 2. etiam per omnia fratribus aſsimilatus abſq; peccato,in-
firmitatibus noſtris compati poſſet,& eis qui tentantur
auxiliari.Quæ omnia ſimul cum omnipotentia, cæte-
riſq; diuinis perfectionib.in una natura exiſtere neuti-
quam poſſunt. Ex quibus proinde ſancti Patres duas
Chriſti naturas colligebant.

Quod ſi

15. Quodſi Chriſtus ſecundũ humanitatem potentia & cæteris naturæ diuinæ perfectionibus, diuinitati æqualis eſt, iam neq́ꝫ Patri uſq́ꝫ ad mortem obediens, Phil.2. neq́ꝫ Matri & Ioſepho ſubditus eſſe, neq́ꝫ ſibi uel nobis Lucæ 2. Hebræ.2. mereri, neq́ꝫ Mediator Dei & hominum eſſe aut dici 1.Timo.2. potuit. Siquidem hæc & id genus ſimilia, quæ in Scripturis paſsim occurrunt, inæqualitatem ſonant, non ſolùm in eſſentia, ſed etiam in potentia, unde hæc opera proficiſcuntur.

16. Et quidem uel ex hoc ſolo apertè conuinci poteſt humanitatem Chriſti haud eſſe omnipotentem, quòd plurima poſsit Deus, & ante ipſam etiam Chriſti humanitatem conditam potuerit & fecerit, quæ humanitas nulla ratione efficere poteſt, nec unquam potuit. Etenim ut cætera innumera omittamus, non potuit humanitas ipſa ſe fingere, neq́ꝫ reſuſcitare, neq́ꝫ ſe nunc poteſt in nihilum redigere, non eſt igitur humanitas diuinæ naturæ in potentia ullo pacto exæquanda.

17. Qui ergo cum Schmidelino errare nolint, Paulum ducem ſequantur, & utraſq́ꝫ naturæ proprietates & operationes, ita diſtinguant, ut tribuant, humanitati quidem, infirmitatem: diuinitati uerò, uirtutem, in qua Chriſtus Dominus prædeſtinatus eſt Filius Dei. Et ſi- 2.Corint.13. Rom.1. cut duas uoluntates & duas itidem operationes, ſingulas in ſingulis naturis eſſe credunt cum Eccleſia: ita quoq́ꝫ duas uirtutes ſeu potentias alteram infinitam in diuinitate, alteram finitam in humanitate, ſine ulla permixtione, confuſione, transfuſione, effuſione uel infuſione, cum eadem ſancta & Apoſtolica Eccleſia ſimpliciter confiteantur.

Math. 28. Pſal. 8. Eph. 1. Ioan. 3.

18. Abutitur autem quibuſdam Scripturæ locis nouus iſte Macarius, ut probet humanitatem potentia, autoritate, Maieſtate, gloria, ſcientia & ſapientia diuinitati æqualem eſſe. Tametſi enim largiamur illi, quód in citatis locis aliqua cum Deo æqualitas Chriſti deſignetur, hinc tamen non ſequitur illud, humanitatem diuinitati æqualem eſſe. Aliud enim eſt, ſi dicas (ut ante declarauimus) Chriſto omnem datam eſſe poteſtatem in cœlo & in terra, aliud humanæ eius naturæ donationem eam factam fuiſſe. Nam perſonæ diuinæ, quæ Chriſti nomine ſignificatur, omnipotētia & quæcunq; alia diuina perfectio uerè aſſcribi poteſt, creatæ uerò naturæ, qualis eſt Chriſti humanitas, non poteſt.

19. Certè ſi omne illud, quod uel in Scripturis ſacris, uel in Patrum monumentis, quocunq; modo Chriſto aſſcribitur, humanitati Chriſti ſtatim tribuať, profectò & Catholicè affirmare licebit; humanitas Chriſti eſt Deus, increata, ęterna, per quam omnia facta ſunt, unū & idem cum Patre, ſplendor Patris & figura ſubſtantię eius, quoniā hęc oīa de Chriſto uciſsimè prædicantur.

Eſaie. 9. Phili. 2. Ioan. 1. Ioan. 10. Hebræ. 1.

20. Imprudentius uero & inſulſius colligitur, Apoſtolus aſſerit plenitudinem diuinitatis in Chriſto corporaliter inhabitare, & omnes in eo theſauros ſapientiæ & ſcientiæ reconditos eſſe, igitur plenitudo diuinitatis, id eſt, æqualis gloria, Maieſtas, ſapientia & potentia, humanitati Chriſti eſt communicata, & in eam effuſa, aut quaſi transfuſa: ita ut iam humanitas Chriſti, uerè ſit & dicatur omnipotens, ſicut ipſe Deus, humana, inquam, natura, nō ſola diuina, æqualiq; gloria & Maieſtate cum Deo ipſo prædita.

Coloſ. 2.

Hunc locum citat ad idem probandum Paulus Monotheleta.

21. Hic

21. Hic monendus eſt Lector, ut obſeruet, perſonā Chriſti cum natura manifeſtè ab hoc Theologo confundi, quandoquidē ex eo, quòd quippiam in Chriſto eſſe dicitur, cōcludit, idipſum quoq; in eius humanitate ſtatui oportere.

22. Deinde, ut fingamus Apoſtolū dixiſſe, plenitudinē diuinitatis in humanitate Chriſti corporaliter inhabitare, omneſq; theſauros ſapientiæ & ſcientiæ diuinæ in eadē humanitate reconditos latêre, quod à Diuo Paulo dictū nō eſt, tametſi Catholicè id affirmari poſſe nouerimꝰ, cùm tota & plena diuinitas humanitati perſonaliter ſit unita, & in ea lateat abſcondita. Cæterùm falſò inde colligitur, ergo æqualis Maieſtas, ſapientia & potentia &c. humanitati Chriſti eſt communicata, ita ut humanitas dicatur omnipotens, quemadmodū Deus. Eodem enim argumentationis genere deduceretur, Deitatem naturæ humanæ cōmunicatam eſſe, ita ut humanitas Deus uerè dici poſsit, ſicut omnipotens: cùm ueriſsimè aſſeueretur diuinitatem ipſam in humanitate Chriſti corporaliter inhabitare. Præſertim cùm nihil ſit aliud Deitatis plenitudo, quàm Deitas plena atq; perfecta.

23. Adde, quòd cū anima rationalis in corpore humano corporaliter inhabitet, nō ſolū hypoſtatica unione illi cōiuncta, ſed etiā eſſentiali: ſi huius autoris explicationem ſequimur, integrū erit inferre, animam cū omnibus ſuis facultatibus & affectionibus, ad eum modū corpori cōmunicatam eſſe, ut corpus perindè atq; anima intelligens ſit & uolens, arte Mathematica & Medica, cæteriſq; ſcientijs præditū. Quis aūt niſi ſtultus id fateatur?

24. Imò

24. Imò uerò cum domos corporaliter inhabitemus, ſequetur etiam nos illis ita communicatos eſſe, ut eiſdẽ proprietatibus & perfectionibus domus affectæ dicantur, quibus nos ipſi affecti ſumus. Qualis ergo eſt autoris huius explicatio, qua pro eodẽ inhabitationis & communicationis nomen audet uſurpare?

25. Nec obſtat, quòd aliter diuinitas in humanitate habitet, nimirum hypoſtaticè cum illa coniuncta. Nam licèt id uerum ſit, non ideo tamen conſequitur, idem eſſe, aliquid in altero corporaliter inhabitare, & illi cõmunicatum aut hypoſtaticè coniunctum eſſe. Vnde

Contra Theodoretum Neſtorianum. Cyrillus ſic ait: Neq; idem fuerit dicere, Verbum factum fuiſſe hominem, & putare, Deum habitare in ho-

Coloſ. 2. mine, etiamſi, ut eſt, uera beati Pauli uox eſt, quòd cõplacuit in ipſo habitare omnem plenitudinem Deita-

1. Cor. 7. 8. tis corporaliter. Sed unum inquit eſſe Deum Patrem & Filium Dominũ Ieſum Chriſtum, per quem omnia. Et hinc eſt quòd Neſtorius, qui hypoſtaticã diuinitatis cum humanitate unionem reiiciebat, libenter eo teſti-

Ioh. 4. monio uteretur, quòd uideret aliud eſſe, aliquid in altero inhabitare, & illi hypoſtaticòs coniunctum eſſe.

26. Quocunq; ergo modo hic interpretetur Scripturæ teſtimonia, ſiue de perſona, ſiue de natura Chriſti, nullum inde firmum ſatis præſidium petere poterit, cùm utrouis modo accepta, longè quidem aliter explicari debeant, & à Patribus ſecus explicentur, quàm ab hoc autore intelliguntur.

27. Nec tamen ideo, quòd diuinitas proprietates ſuas humanæ naturæ non communicauerit, conſequens eſt, Grammaticam tantum ſeu uerbalem idio-

matum

matum diuinæ naturæ communicationem in perſona Chriſti fieri, ut hic homo inferre conatur, eâdem enim omnino ratione conuinceretur, idiomatum humanæ naturę communicationem, cum perſona diuina nullatenus eſſe factam. Nam ut fides orthodoxa docet, & Schmidelinus quoque apertè confitetur, humana Chriſti natura proprietates ſuas diuinæ naturæ nullo pacto communicauit. Theſ. 15. Theſ. 19.

28. Sicut ergo Deus dicitur hominis Filius, infirmus, crucifixus, mortuus & ſepultus etc. propter naturam humanam ſibi perſonaliter unitam: ita etiam homo Chriſtus, Dei Filius appellatur, omnipotens, æternus, immortalis etc. non propter aliquam effuſionem aut transfuſionem, ſed propter inconfuſam unionem, qua humana natura cum diuinitate coniuncta eſt in unitate perſonæ.

29. Dicet aliquis inter idiomatum diuinorum & humanorum communicationẽ multum intereſſe diſcriminis: quoniam diuina non ſolùm uoce, ſed etiam re ipſa de humana natura dicuntur, humana uerò idiomata, non re ſed uoce tantùm diuinitati aſcribuntur, id quod haud obſcurè quidẽ & ille hiſce uerbis ſubindicat. *Diligenter uerò diſcernendum eſt, inter idiomata humanæ naturæ, quæ propter unionem perſonalem diuinæ tribuuntur, et idiomata diuinæ naturæ, quæ propter eandem unionem humanæ aſcribuntur. Humanitas enim diuinitatem non aſſumpſit, ſed ipſa aſſumpta eſt à diuinitate in unitatem perſonæ, quam infirmam reddere non poteſt: et ſi uerè & rectè dicitur perſona, quæ Deus & homo eſt,* Theſ. 19.

E *laborare*

laborare & mori. *Cùm econtra humanitas à diuinitate perſiciatur, quæ realiter ſuas proprietates humanitati communicat, ut ſit non modò uiua, ſed uiuificatrix quoq;, non potens tantùm, ſed etiam omnipotens: humana inquam natura non ſola diuina.* Hæc ille inſignis ſcilicet diſputator.

30. Primùm hic explicandum erat apertius, de perſona, an de natura loquatur, nam utramq; paſsim more ſuo confundit, & utriuſq; uocabulis citra ullum delectum abutitur. Quòd ſi de natura loquatur, ut ſanè loqui uidetur, non minùs falſum eſt, quod ait, diuinas proprietates humanæ naturæ realiter eſſe communicatas, quàm ediuerſò, communicatas eſſe humanas diuinæ naturæ, ut ex his quæ antea diximus liquidò conſtat: etenim nec uoce nec re ipſa unius naturæ proprietates alteri conueniunt, nec de altera dici queunt. Nec minùs repugnat, humanam naturam diuinis affici proprietatibus, quàm diuinitatem humanis infirmitatibus obnoxiam fieri.

31. Si uerò de perſona diſſerit, ut ibidem quoq; facit, dum inquit: *Etſi uerè & rectè dicitur, perſona quæ Deus & homo eſt, laborare & mori:* non minùs & id falſum eſt, ſcilicet idiomata humana, uoce duntaxat, non re ipſa, de perſona, quæ reuera diuina & humana eſt, affirmari, cùm uni eidémq; perſonæ utriuſq; naturæ attributa re ipſa conueniant. Quòd autem fieri nequeat, ut, uoce & non re ipſa humana idiomata de perſona Verbi enuncientur, id ex peruulgato illo Philoſophi dicto clarè intelligitur: Ab eo, quòd res eſt

uel

uel non eſt, oratio dicitur uera uel falſa. Vnde omnibus compertum eſt non poſſe aliquid uoce de altero affirmari, ſi res ipſa aliter habeat, quàm uoce ſignificetur.

32. Ex eo uerò, quòd humanitas diuinitatem non aſſumpſerit, ſed ipſa aſſumpta ſit à diuinitate in unitatem perſonæ, & diuinitas infirmari nequeat, humanitas autem à diuinitate perficiatur: nequaquam ſequitur, ipſam Verbi perſonam, infirmitates humanas non ſuſtinuiſſe, aut humanam naturam æquè perfectam eſſe, atq; diuinam: ſed hoc tantùm hinc inferri poteſt: nihil imperfectionis ex ea unione diuinitatem accepiſſe, humanitati uerò maximam acceſsiſſe perfectionem, qua particeps, non æqualis effecta eſt diuinæ naturæ, ut D. Baſilius his uerbis docet: Humana Domini caro, ipſa participauit deitate, non propriam debilitatem diuinitati diſtribuit. Concione de Natiuit.

33. Vnde, quod ad naturas ipſas attinet, rectè quidem hoc diſcrimen ſtatui poteſt, quòd ex hypoſtatica diuinitatis cum humanitate unione, nihil omnino imperfectionis diuinæ obtigerit naturæ, humanæ uerò magna quædam & ſingularis excellentia obuenerit. Sed interim hæc perfectio, quæ ex unione illa humanæ acceſsit naturæ, non eſt idioma diuinum, ſed humanum, non quidem naturale, ſed gratuitum.

34. Quantũ uerò ſpectat ad idiomatũ communicationem in perſona, citra ullũ omnino diſcrimen, & diuina homini, & humana Deo, tanq; uni & eidẽ perſonæ, in diuina & humana natura ſubſiſtenti, nõ uoce tantùm,

ſed et re ipſa rectiſsime attribuuntur, cùm una reuera ſit Dei & hominis perſona. At uerò idiomata diuina néq; uoce néq; re ipſa naturæ humanæ poſſunt aſcribi, ſicut nec humana diuinæ, quòd, ſecundùm ſacrorum Conciliorum ſanctiones & Patrum traditionem, naturæ ſemper diſtinctæ & impermixtæ cum ſuis proprietatibus permanſerint.

35. Nunc uide obſecro huius Theologi imperitiam impiam, & impietatē imperitam, qui dum nouū quodam & hactenus inauditum diſcrimen comminiſcitur, ab omni Chriſtiana ueritate in re tanta diſcedit. Nam attributa diuina palàm humanæ aſſcribit naturæ, ediuerſò uerò humana non reuera, ſed uoce ſolùm diuinæ perſonæ accommodat.

36. Iam illud eſt expediendum, & ſeruata quidē methodo: huiuſmodi Maieſtatis, potentiæ, ſapientię communicationem, quam iſte confingit, ne fieri quidē potuiſſe. Primùm enim certiſsimum eſt, nullius omnino proprietatem, in alteram naturā ſeu ſpeciem transferri poſſe. Etenim ut eruditè Cyrillus dixit, & ratio ipſa dictat: Quorum operatio & uirtus indifferenter una eſt, ijs neceſſe eſt ſpeciei unitatem ſeruare. Quis enim diceret aptitudinem ad diſciplinas capiendas, ad ridendum, ad ratiocinandū, quę hominis propria, lapidi aut trunco infundi poſſe? Multò minùs uerò diuina ꝓprietas, quæ infinita eſt, naturæ finitæ & creatæ poterit cōmunicari, cùm in confeſſo ſit, qđ res finita certiſq; terminis conclusa, rē infinitā & immenſam intra ſe capere nequeat.

In proſphonetico ad Theodoſium.

37. Adhæc cùm Dei potentia, ſicut & ſcientia, & quęlibet eius perfectio, ipſiſsima et ſimpliciſsima eius ſit

eſſentia,

eſſentia,ut etiam ultro aduerſarius fatetur, euidenti & The.31.
neceſſaria collectione efficitur, ſi diuina omnipoten-
tia &c.humanæ naturæ fuerit communicata, quemad-
modum ille ſomniat,ipſiſſimam quoq; & ſimplicisſimã
Dei eſſentiã eidem naturæ humanæ fuiſſe cõmunica-
tam: ita ut humanitas ſit facta Deus ſicut omnipotens.

38. Præterea cùm idem hic ἐξουσία, potentia,gloria, & Maieſtate,humanitatem,diuinitati exæquet, fateri uel inuitus debet, οὐσία quoq;, eſſentia, natura atq; ſubſtantia,humanam Chriſti naturam diuinitati æqualem eſſe: cùm hæc omnia in Deo ſint una eadémq; ſimplicisſima Deitatis natura.

39. Hinc quoq; colligitur,idem prorſus eſſe,ſi dicas, diuinitatem realiter ſuas proprietates humanitati cõmunicaſſe,ita ut diuinæ naturæ proprietates de illa uerè prædicentur,ac ſi dicas, diuinitatem ſemetipſam humanitati communicaſſe,ita ut ipſa diuina natura de humana affirmetur: & unionem proinde duarum naturarum in Chriſto, non in perſona,ſed etiam in natura factam eſſe.

40. Nec aliud eſſe poteſt humanam naturam omnipotentem euaſiſſe,quàm creaturam eſſe tranſmutatam in creatorem ac Deum,quod nec fieri, nec intelligi ulla ratione poteſt,cùm néq; Deitas in humanitatẽ, nec humanitas in Deitatem cõuerti queat aut commutari. Pſal.102. Malach.3. Hebræ.1.

41. Quæ cùm ita ſeſe habeant,non poteſt hic aduerſarius,quicquid etiam garriat,à damnata Eutychianorũ hæreſi excuſari,qui duas Chriſti naturas impiè iuxtà ac imperitè confundebant, nam, ut oſtendimus,diuinas in Chriſto proprietates, quas tamen prorſus idem cum

ipſa diuina eſſentia eſſe fatetur, cum humana natura manifeſtè confundit atq; permiſcet.

42. Quod cum nouus hic Eutyches quadantenus animaduertiſſet, & abſurdius ab ſe dictum nonnihil
Theſ.22. mitigare uellet, hæc uerba inſeruit. *Neq; uerò hac reali plenitudinis omnis diuinitatis communicatione, natura humana cum diuina miſcetur, aut, ſicut quibuſdam uidetur, planè aboletur, ſed quod diuinæ per eſſentiam eſt, id humanæ ſuo modo per accidens communicatur.* Quibus quidem uerbis non ſanat hic homo, ſed aperit magis & peſtilentiorem reddit morbū animi ſui, nouáſq; euomit abſurditates, tantum abeſt ut diluat obiectum argumentum.

43. Nam ſi illa plenitudinis diuinitatis cōmunicatio per accidens eſt. ut loquitur, ſequitur unionē hypoſtaticam, quę, ſecundū Eutychiani huius ſententiam, in illa plenitudinis cōmunicatione ſita eſt, per accidens eſſe. Verū id falſò aſſeri, inde colligas licet, quòd hac ratione fieret, ut Chriſtus Deus eſſet per accidens, & ipſa quoq; diuinitatis plenitudo accidens quoddā eſſet. & reliquæ etiam diuinæ perfectiones, quæ cum plenitudine diuinitatis idem prorſus exiſtunt, accidentia quædam haberentur. Sed hæc tam impie quàm abſurde affirmari, nemo ſanę mentis dubitare poteſt.

44. Iam uerò ut ad illud quoq; progrediamur, licèt hęc Maieſtatis, poteſtatis, autoritatis & glorię unio fieri aliquo modo potuiſſet, aut etiam reipſa facta foret, ita ut in ea ſola, nō in eſſentia, duæ in Chriſto naturæ unitæ fuiſſent, tamen hypoſtaticam unionem nō efficeret.

45. Nam

45. Nam ut ſuprà multis oſtendimus Patres oẽs cõ= ſtanter aſſeuerant unionem hypoſtaticã eſſe unionem in ſubſiſtentia, non in aliqua eſſentiali proprietate toti Trinitati cõmuni: Idiomatum uerò cõmunicationem in perſona, unione illa perſonali naturæ ordine poſte= riorẽ eſſe, eámq; iã factã neceſſario cõſequi. Ideo .n. di= cũt utriuſq; naturæ idiomata de una eadémq; perſona Chriſti affirmari, quia illę duę naturę in una Chriſti per= ſona ſunt unitę: quod ꝑfectò cõſtare nõ poſſet, ſi ipſa= met idiomatũ cõmunicatio perſonalẽ efficeret unionẽ. In Theſibus explicatoriis.

46. Quòd aũt ſola illa poteſtatis et Maieſtatis cõmuni catio, qualẽ iſte fingit, ad hypoſtaticã unionẽ nõ ſuffi= ciat, docet Eph. Synod⁹ in hæc uerba. Nõ poteſt unire naturas (de unione hypoſtatica loquit̃) ſola dignitatis aut poteſtatis ęqualitas. Et rurſus: Dicere deũ et hoĩem ſibi inuicẽ uelut dignitatis & autoritatis unitate cõiun= ctos, nouitas uocis eſt, & nihil aliud. Sic illa Synodus. Episto. ad Nestorium.

47. Quæ res ut per ſimilitudinem illuſtretur, ſi forte Princeps aliquis, quocunq; modo in Maieſtate, pote= ſtate & autoritate alteri ſit æqualis, nõ inde cõſequitur, utrunq; Principem in eandem coaluiſſe perſonã, ſicut nec ideo duo Apoſtoli, q̃d exemplũ Synodus eadẽ in rem præſentẽ adducit, una perſona dici poſſunt, quòd paris fuerint poteſtatis, autoritatis, aut dignitatis. In Epiſt. ad Neſtor.

48. Quòd ſi Paulo credimus, Chriſtus ſua obedien= tia uſq; ad mortẽ, humanitatis ſuæ exaltationẽ prome= ruit et Maieſtatem. At ſi Maieſtatis cõmunicatio hypo= ſtaticã perficeret unionẽ, fieret ſanè ut ſua paſsione ſuã quoq; cũ diuinitate, promeruiſſet unionem; quod ri= diculum eſt aſſerere. Phili. 2. Hebr. 2.

49. Imò

49. Imò cùm Chriſti corpus ante reſurrectionē non fuerit glorioſum, ſed patibile, & mortale: manifeſtè ſequitur, antequam Chriſtus reſurgeret ſacratiſsimum eius corpus diuinitati hypoſtaticè unitum non fuiſſe, ſi quidem, ut hic homo uult, in gloriæ & Maieſtatis communicatione unio hypoſtatica conſiſtit.

50. Prætereà, ſi in illius poteſtatis & Maieſtatis cōmunicatione, hypoſtatica Chriſti unio conſtituitur, nō poterit ulla ratione Deus naturam aliquam in perſona ſibi copulare, quin eiuſcemodi poteſtatē &c. ei impartiatur. Quod ſanè nemo admittet, niſi qui diuinā omnipotentiam ignoret, & quid hypoſtatica unio ſit planè non intelligat. Conſtat enim corpus Chriſti etiam in triduo, cùm iam rationali animo eſſet deſtitutū, hypoſtaticòs diuinitati coniunctum fuiſſe, quod tamen gloriæ, poteſtatis, Maieſtatis, ſapientiæ, & ſcientiæ diuinæ capax minimè fuiſſe, nullus, niſi qui ratione caruerit, ambigere poterit.

51. Iam ſi hic autor putat, corpus aliquod, præſertim animæ rationalis expers, omnes aut aliquas diuinas perfectiones capere poſſe: inſignis ſanè cuiuſdam inſcitiæ notam euadere nequit. Sin uerò eas capere non poſſe cenſuerit, ut res ipſa habet, illud euitare non poterit, quin aſſerat corpus Chriſti, præſertim in triduo, Diuinitati unitum haud quaquam remanſiſſe, imò nec remanere potuiſſe. Sed id falſum eſſe & hæreticum, Theologus nullus ignorat.

Ad hæc, cùm Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, nō modò æqualis, ſed unius planè & eiuſdē ſint poteſtatis, Maieſtatis, autoritatis & gloriæ, cùm etiam eadem

prorſus

prorſus diuinitatis plenitudo in tribus illis perſonis reperiatur, ſi poteſtatis etc. unitas, æqualitas, aut κοινωνία unam perſonam conſtitueret, ut hic uanè fingit, non iam tres, ſed unam tantùm hypoſtaſin in Deo eſſe, cum impio Sabellio, fateri prorſus cogeremur.

53. Prætereà cùm poteſtas Diuina & reliqua attributa omnia, in tribus illis diuinis perſonis unum & idem omnino exiſtant, ex eodem illo principio apertè deduceretur, Patrem & Spiritumſanctum æquè incarnatos ac paſſos eſſe atque Filium, ſi quidem unio facta ſit in re toti trinitati ex æquo communi.

54. Quam abſurditatem cum Sabellius effugere non poſſet, hoc ſuæ ſectæ nomen promeruit, ut ipſius ſectatores omnes, Patripaſsiani appellarentur. Quamobrem cum hic etiam Autor ſuo commento in Sabellij ſe hæreſin præcipitet, non uidemus, quo pacto Patripaſsiani nomen effugere queat.

55. Poſtremò, unionem illam poteſtatis, Maieſtatis etc. hypoſtaticam neutiquam eſſe, in ipſo Trinitatis myſterio clarè conſpicitur. Etenim tres illæ diuinæ Perſonæ in poteſtate quidem, Maieſtate, & reliquis perfectionibus quàm maximè ſunt unitæ, totámque Deitatis plenitudinem habent, cùm nihilominus inter ſe uerè & perſonaliter ſint maneántque diſtinctæ.

56. Igitur ſola poteſtatis, uirtutis, aut Maieſtatis communicatio, quæcunque tandem illa ſit, hypoſtaticam unionem efficere nulla ratione poteſt. Quod ex eo etiam apertè deducitur, quòd poteſtatis, uirtutis, aut Maieſtatis, in genere conſideratæ, communicatio, ad id non ſufficiat: cùm poteſtas, uirtus &

Maieſtas nihil minùs quàm hypoſtaſin ſignificent.

57. Vnde in Epheſina Synodo Neſtorius condemnatus eſt, quòd hac ſola Maieſtatis, honoris & poteſtatis ſeu uirtutis communicatione duas Chriſti naturas uniret, duásq; proinde perſonas, ac totidem filios in Chriſto conſtitueret. Verba porrò Synodi ſic habent:

Anathematiſ. 3. Si quis in uno Chriſto diuidit ſubſiſtentias poſt unitionem, ſola ſocietate coniungens ea, quæ ſecundùm dignitatem eſt, uel etiam autoritatem aut poteſtatem, & non magis cõuentu, qui per unitatem factus eſt, naturalem, anathema ſit. In quinta etiam Synodo generali hæc ipſa Neſtorij hęreſis hiſce uerbis damnatur. Si quis

c. 4. dicit ſecundùm gratiam uel ſecundũ operationem uel ſecundùm dignitatem, uel ſecundùm æqualitatem honoris, uel ſecundùm autoritatẽ aut relationem aut effectum aut uirtutem, unitionem Dei Verbi ad hominem factam eſſe etc. anathema ſit.

58. Dubiũ iam ex his nulli eſſe poteſt, Schmidelinum inſignem eſſe Neſtorianum, cùm nullam aliam Dei & hominis in Chriſto unionem agnoſcat, quàm eam, quę Maieſtatis, autoritatis, poteſtatis, uirtutis ſeu energiæ cõmunicatione, aut effuſione efficitur: ut his ipſe uer-

Theſ. 20. bis diſertè confitetur. *Neq; imaginanda (inquit) aut fingenda eſt alia Dei in Chriſto, quam in creaturis reliquis omnibus, quo ad ὀυσίαν, diuinitatis præſentia. Quæ ut in creaturis ἐνεργείᾳ diſcernitur, quòd alia in alijs agat, & operetur, ita in Chriſtum tota effunditur, ut iam extra ipſum nihil, ſed in homine et per hominem Chriſtum omnia*

Similes loquendi formulæ paſsim in actis Synodi Epheſinæ a Neſtorianis uſurpatæ leguntur.

Theſ. 21. *in omnibus operetur. Atq; hæc eſt communicatio plenitudinis omnis deitatis, de qua idem Apoſtolus loquitur;*

In quo, inquit, ſub omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi. Et iterum: In ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Hactenus ille, apertiſsimè Neſtorizans, niſi quòd in eo hebetior & Neſtorio imperitior uideri poteſt, quòd neſciat eam ſolam coniunctionem, ad illam προσωπικὴν ἕνωσιν efficiendam, nō ſufficere, id quod neutiq̄ ignorabat Neſtorius.

59. Iudicent ergo æqui & boni omnes de hoc Neſtoriano, & animaduertant quæſo, qua fronte audeat Maieſtatem hominis Chriſti, nō ſolum obſcurare, uerùm etiam utriq; Chriſti naturæ, quàmplurimùm derogare: Humanæ quidē, quia ſola uirtutis ſeu poteſtatis, & neſcio qua Maieſtatis unione, quam ipſe fingit, eam cum Verbo coniungit. Diuinæ uerò naturæ non minus detrahit, quia humanitatem ἐξουσίᾳ, potentia, gloria atq; Maieſtate, diuinitati hic ineptus cenſor exęquat. Tum, utriq; naturæ ſimul in hoc maximam uim irrogat & iniuriam, quòd eas earúmq; proprietates inſulſè permiſcet, atq; confundit.

60. Grauius adhuc peccat et à ſacrilegij crimine defendi nō poteſt, qui ad hęc ſua pernicioſa tantáq; impietate referta aliáq; plura inſana dogmata confirmanda, non
ueretur ſacrę legis uerba furari. Sic ab initio, ut alijs ue- In Præfatione.
ritatis & antiquitatis ignaris facilius imponeret, quædā Vincentij Lyrinenſis uerba, ſuis præfixit Theſib. Tum nō minùs impudenter quam arroganter auſus eſt polliceri eam ſe doctrinā repetiturum, ſinceréq; declaraturum, quā nobis Prophetæ, Apoſtoli, primitiuę Eccleſię Patres, Martyres & Cōfeſſores tradiderūt. At in ꝓgreſſu nullū ex his oībus ſuorū dogmatū profert cōproba-

torem cuius ſe patrocinio tueatur. Hoc demum eſt ſinceram ueritatis & Euangelij doctrinam uindicare.

61. Quid multa? Si uolumus noua huius Veteratoris impiáq; figmenta inter ſe aliquo pacto cohærere, illud etiam admittamus oportet, ut ueteres & olim damnatæ hæreſes, quamuis inter ſe maximè diſiunctæ atq; diſſectæ, in orbem ueluti poſtliminio reuocentur, & ueluti ab ipſius Orci faucibus iterum reſuſcitentur.

62. Etenim, ut manifeſtè conuicimus, hic ſectarius in Chriſto cum Monothelitis proprietates confudit: cum Eutychete naturas in una eſſentia coniungit: cũ Neſtorio perſonas diſtinguit ac ſeparat: cum Sabellio, Patripaſsiano Patrem et Filium et Spiritumſanctum in perſona unit, totámq;, ut ſic dicamus, incarnat Trinitatem.

63. Nec opus eſt ulla hic noua cenſura aut condemnatione. Iudicarunt de hac cauſa celeberrimæ Synodi, & pronuntiarunt anathema his omnibus, qui ueterum impietatum eſſent cum Schmidelino propagatores aut ſectatores.

Conſtan.1.2.3. Epheſ.1. Chalce.

64. Nec poteſt hic Autor, ut omnium harum hæreſum notam euadat, ad illud perfugium ſe recipere, quòd initio dixerit, ſe duas naturas perſonaliter in Chriſto unitas agnoſcere, cùm poſtea illud ipſum ſuo modo interpretatus, damnatis illorũ hæreſiarcharum opinionibus apertè ſuffragetur. Neq; enim ſatis eſt (ut Epheſina Synodus teſtatur) fidem uoce duntaxat confiteri, niſi rectè quoq; eam interpreteris.

In Epiſt. ad Neſt.

65. Sed quid tandem ad impias & abſurdas has opiniones renouandas impulit Schmidelinum? Non id ſanè, ut Chriſti hominis Maieſtatem extolleret, ſicut

Thematum

Thematum illius titulus pollicetur, ſed ut Sacroſan-
ctæ Euchariſtiæ dingnitatem & excellentiam, quoad Ad Lectorem
eius fieri poſſet, obſcuraret, omnéſq; Sectarios pluri-
mum inter ſeſe diſſectos atq; diuiſos, cõtra Chriſtum
Chriſtiq; ſponſam Eccleſiam Catholicam hac ratione
uniret ac coarmaret.

66. Huc ut perueniret, uiam putauit expeditiſsimam ſibi fore, ſi contra communem Eccleſiæ Apoſtolicæ ſenſum probare poſſet, Chriſti humanitatem corporaliter ubiq; præſentem adeſſe. Ex hoc enim principio, mox ſequebatur, nihil ſingulare aut admirabile in hoc Euchariſtiæ Sacramento accidere, quantũ ad præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti attinet, quod non in cæteris itidem rebus omnibus & creaturis uſu ueniret. O artem uerè Sathanicam, quæ poſtea nobis apertius detegenda erit atq; refellenda.

67. Nunc ordo poſtulat ut demonſtremus Chriſti humanitatem nõ eſſe ubiq; corporabiliter præſentem quemadmodum hic Theologus præcipuè conuincere ſtudet. Et hac quidem ſola ratione ductus. *Cúm diuinitas (inquit) in unitatẽ perſonæ aſſumpſerit hominẽ, cuius ratio & definitio eſt plenitudinis Dei cõmunicatio, in quo omnis Deitas corporaliter inhabitat: ſequitur, ipſam quoq; humanitatem Chriſti ubiq; præſentem eſſe. Et iterum: Reſtat tertia Maieſtatis ratio, qua ſine corporis extenſione & diffuſione, humanitas Chriſti á Verbo ita perficitur, ut eadẽ Maieſtate res præſentes habeat rebuſq; præſens ſit, qua diuinitas.* Hæc Schmidelinus. Theſ. 34.

68. Vbi primùm obſerua quòd Vbiquietarius iſte, ut alibi, ſic nunc etiam nullam Scripturæ autoritatē, nullum ex probatis Patribus aut Synodis teſtimoniū in re tanta comprobanda producit, imò contra luculentas Scripturas, & Patrum ſententias unica ſolius Lutheri Magiſtri ſui autoritate, neſcio quàm fideliter recitata, cōtentus, & unica ratione humana fultus, cauſam agit atque concludit. Ita qui maximè Scripturis gloriari ſolet, & ab omnibus illas expoſcunt, ſine Scripturis ſua ſæpe ſomnia uenditant.

69. Quòd ſi rationem ipſam uelimus expendere, falſum reperiemus antecedens quod aſſumit, in eo nimirum ſenſu, quo ipſemet ſuperiùs illud explicauit. Nomine enim unionis perſonalis & plenitudinis diuinitatis inhabitationis, nihil aliud intelligit, quàm totius diuinæ ἐνεργείας in Chriſtum effuſionē, aut diuinæ poteſtatis, autoritatis &c. cōmunicationem: Quam quidē ſententiā erroneam eſſe multis antè argumentis comprobauimus. Deinde, ut antecedens illi maximè concedamus: non hinc cōficitur, humanitatē perinde atque diuinitatem Chriſti ubique adeſſe præſentem. Quandoquidem ex eo, quòd duo Principes paris ſint omnino Maieſtatis, autoritatis & poteſtatis malè colligitur, ſicubi alter eorum fuerit, ibidem ſtatim alterum quoque conſtituendum eſſe.

70. Sed nec ideo aliquid aliquo in loco οὐσιωδῶς exiſtere cōuincitur, quòd in eo uel operari poſſit, uel re uera operetur, quod eſt, potentia eſſe in loco, ut Philoſophi uocant. Nam & ſolem certa quadā parte orbis ſui contentū ac circumſcriptum eſſe conſtat, qui tamen in toto

hoc

hoc ſublunari orbe operatur, ac proinde potentia ſua ibidem adeſt, ubi ſecundum ſuam eſſentiam non eſſe, certiſsimum eſt. Sic ambiguum non eſt, quin quilibet Princeps toti ſuo regno Poteſtate adſit, qui tamen ſecundùm eſſentiam totum regnum neq; occupat, neq; occupare poteſt.

71. Iam ſi ſpectemus ueram hypoſtaticam Chriſti unionem, quæ multò maior eſt, quàm fictitia illa ſolius energiæ & poteſtatis communicatio, neq; ſic etiã colligitur, humanitatem Chriſti in omnibus rebus corporaliter eſſe, ut omnes uerè docti norũt. Satis nanq; eſt ad hypoſtaticam naturarum unionem, ſi diuina humanæ ſuam cõmunicauerit ſubſiſtentiam, ex quo id tantum conficitur, aliquo in loco humanitatem eſſe, in quó ipſa etiam adeſt diuinitas.

72. Sicut etiam ad hoc ut anima rationalis corpori ſit unita, neceſſe non eſt, ut ubicunq; ſit anima, ibidem & corpus exiſtat. Nam ſic fieret, ut caput eſſet in pede, & pes in capite, & in quauis alia corporis parte, cùm anima ipſa tota ſit in toto corpore, & tota in quauis parte ipſius.

73. Quòd ſi hoc argumentationis genus hic nequaq; procedit, cùm tamen anima & corpus non in hypoſtaſi ſolum, ſed etiam in natura ſint unita, multò minus in unione duarum naturarum in Chriſto procedet, ubi ſola unio hypoſtatica reperitur. Rectè ergo & prudenter Aug. de Chriſti humanitate loquens, dixit: Non eſt conſequens quod in Deo eſt, ita ſit ubiq; ut Deus. De præſentia Dei ad Dardanũ Ep. 57.

74. Hæc

24. Hæc ſufficere poterant, præſertim cordato lectori, ad planè refellendam huius noui Vbiquetarij & ſectarij argumentationem, ſiue aſſumptum, ſiue illationem expendas. Nam & antecedens apertè falſum, & conſecutionē ineptam eſſe ſatis oſtendimus. Vt tamen ueritas magis eluceſcat, & omnis dubitandi occaſio ſubmoueatur, apertis Scripturæ ſanctorúmque Patrum teſtimonijs, perſpicuis etiam rationibus, ex fidei fundamentis deductis, palàm faciemus, Chriſtum ſecundum aſſumptam carnem non ubique præſentē adeſſe, eàdem, qua Diuinitatem, Maieſtate, neque præſentem aliquando fuiſſe.

25. Diſtinctiònem tamen, ob uarias quæ hic ſe offerunt quæſtiones, præmittemus, ne dum unum errorem extremum confutamus, alterum illi oppoſitū confirmare uideamur. Siquidem alia quæſtio eſt, An ex eo quòd humanitas Verbo unita eſt, ubique corporaliter ſit præſens eàdem Maieſtate, qua ipſa diuinitas. Alia uerò, An ea ipſa Chriſti natura per Dei omnipotentiā in pluribus locis, uel ubique locorum poſsit exiſtere. Alia denique, An Chriſti humanitas talem aliquam poteſtatem ſit ſortita, qua ſe ipſam uel ubique, uel in pluribus locis ualeat collocare.

26. Hic ergo non diſputamus, An humanitas Chriſti omnipotentia diuina in pluribus locis exiſtere poſſit, id enim poſſe fieri, imò re ipſa quotidie accidere, minimè dubitamus, ſed hoc quærimus atque ſpectamus: ex hypoſtatica illa naturarum unione nequaquam conſequi, Chriſti humanitatem aut ubique, aut in multis ſimul locis exiſtere: ſed quò id fiat, nouo opus eſſe miraculo.

Illud

Illud prętereà conſtanter tuemur atq; defendimus, hu-
manam Chriſti naturam nec ſemper fuiſſe, nec nunc
quoq; corporaliter ullo pacto ubiq; eſſe præſentem,
neq; eiuſmodi aliquam in ea facultatē eſſe, qua ſe ubiq;
ſiſtere ualeat.
77. Atq; rem ita habere, uel hinc facile ſit colligere:
quòd caro aſſumpta, propter hypoſtaticam cum Verbo
unionem, naturales ſuas proprietates & affectiones
neutiquam amiſerit, nec proprietatem aliquam diui-
nam acquiſiuerit, ut ſuprà latè cōmonſtrauimus. Certo
autem loco circumſcribi ac definiri, inter naturales cor-
poris affectiones recenſetur: ſicut & poteſtas ad exi-
ſtendum ubiq; ad diuinas pertinet proprietates. Vnde
Damaſcenus, poſt illā unionem, incircumſcriptum, id lib.3.c.3.
eſt, diuinitatem, manſiſſe incircumſcriptum: & circum-
ſcriptum, id eſt, humanitatem, circumſcriptum manſiſſe
aſſerit. Non eſt enim, inquit, coextenſa caro cum eius Ibidem c.7.
incircūſcripta diuinitate. Idē ferè Gregorius Nazianze- Epiſt. ad Celido.
nus et alij Patres de eadem Chriſti humanitate docent. Aug. de præſ. dei. Marc. 1.c.4.cū
78. Huc accedit, quòd potentia ad exiſtendū, & re uera
exiſtere ubiq;, ſoli Deo ita eſt propriū, ut nulli alteri at-
tribuatur. Sola namq; diuinitas, ut Damaſceni uerbis lib.1.c.17.
utamur, eſt infinita, incircumſcripta, incomprehenſibi-
lis: cætera uerò certo quodam loco definiuntur. Hinc
Alicuinus dixit. Solius diuinitatis fuit loco nō cōtineri. lib.3.de Tri.c.16.
Et Fulgentius: Hæc eſt Trinitas unus Deus, q ſicut po- lib. de immēſitate diuinitatis Filij Dei.
tuit ſolus uniuerſa cōdere, ſic poteſt oīa ſolus implere.
79. Hoc aūt omnibus uſq; adeo certū ſemper fuit atq;
perſuaſum, ut Ambroſius, tanquam firmiſsimo argu- lib.1. de Spiritu-ſancto.
mento, Spiritusſancti diuinitatem contra Eunomium
G probare

probare uolens, in hæc uerba loquatur: Cùm omnis
creatura certis naturæ ſuæ ſit circumſcripta limitibus,
quomodo quis audeat Spiritumſanctũ creaturam ap-
pellare? qui non habet circumſcriptã determinatámq;
uirtutem, qui & in omnibus & ubiq; ſemper eſt: quod
utiq; diuinitatis & dominationis eſt proprium, hęc ille.
In Pſal. 138. Et Caſsiod. ſuper illa uerba: Quo ibo à Spiritu tuo etc.
Cùm tali prędicatione ubiq; Spiritumſanctũ eſſe noſca-
mus, dubium non eſt, Spiritumſanctum coæternum &
Ibidem. coæqualem Patri & Filio reperiri. Hieroni: Ex quo
intelligimus Deum eſſe, qui totus ubiq; ſit. Si ergo
Chriſti humanitas nõ eſt circumſcripta, ſed ubiq; ſem-
Theſi. 54. per omnibus rebus creatis adeſt, ut hic Vbiquiſta do-
cet, non eſt creatura ſed Deus, ut colligunt Ambroſius
Hieron. & Caſsiodorus, quia ſolus Deus ubiq; eſt.
80. Adhæc, ſi Chriſtus Dominus ſecundùm huma-
nitatem, propter hypoſtaticam naturarum unionem, in
omnibus rebus exiſteret, ut ipſe Deus, fieret ſanè, ut à
primo conceptionis ſuæ momento, ubiq; fuiſſet, in
cœlo, in terra, in mari, in inferno: ſiquidem ab eo tem-
pore humanitas diuinitati perſonaliter unita eſt.
81. Sed aliter ſcriptura nos docet, dum affirmet, Chri-
Matt. 4. 14. ſtum ſuper terram & mare ambulaſſe, totam Galilęam
4. circumiuiſſe, ex uno loco in aliũ ſubinde commigraſ-
Ioan. 2. ſe, & ianuis clauſis ad diſcipulos introijſſe, nec falſum
Ioan. 11. eſſe poteſt illud, gaudeo propter uos quia non eram
Marci 17. etc. ibi; item, ſurrexit, non eſt hic. Non enim uerè moueri
aut motu defatigari poteſt, aut ab aliquo loco abeſſe,
quod omnem occupat locum, quocunq; demũ id mo-
do fiat. Vnde Athanaſius ſic ait; Eius eſt ire & uenire,
qui

qui aliquibus locorum terminis circumſcribitur, et eum in quo erat deſerens locum, ut ad eum ubi non erat ueniat. In diſputatione contra Arrhium ſuper illa uerba Vado ad Patrē. Ambroſius quoq; de eadem Chriſti humanitate loquens, in hæc uerba docet: Neq; enim Deus de loco ad locum tranſit, qui ubiq; ſemper eſt, ut homo eſt qui uadit, ipſe eſt qui uenit. De fide ad Gratia lib. 2. c. 4. Et Gregorius Nyſſenus. Tomo 12. contra Euna. Qui dicit, Vado, localem diſceſſum ſignificat: & paucis interiectis: Quod aūt per omnia graditur & in omnib. exiſtit, & omnia continet, non habet quò diſcedat eò qđ à diuina plenitudine nihil eſt uacans. Et S. Maxim⁹: In diſput. habita cum Pyrrho. In ſanctis Euange. de Domino ſcriptum eſt: Poſtridiè uoluit Ieſus ire in Galilæam. Ire nimirum uoluit quatenus ibi non erat: Non erat autem humanitate, diuinitate enim ubiq; eſt. Quid ad dilucida hæc Scripturæ & Patrum teſtimonia reſpondebit Schmidelinus? niſi forte cum Manicheo dicat & ſentiat omnes motus & operationes Chriſti non ueras, ſed phantaſticas fuiſſe.

82. Adde, quòd ſi ab eo tempore, quo Deus incarnatus eſt, eius humanitas ubiq; exiſteret, apertè conſequeretur, illū priuſquam ex matre Virgine naſceretur, extra maternum uterū corporaliter fuiſſe, & poſtquam in lucem æditus fuit, in utero nihilominus ſicut antè erat, remanſiſſe, & ex utero proinde materno exiuiſſe nunq;. Id autem conſtat abſurdum eſſe, & ueræ natiuitatis rationi planè contrarium.

83. Iam ſi Chriſtus ubiq; præſens corpore aderat, ergo ubiq; loquebatur, ubiq; patiebatur, ſiquidem unum & idem os, eadem lingua, idem corpus non poteſt in uno, nec in diuerſis locis actiones illas exercere, & ſimul ab ijſdem uacare,

84. Deniq; Scriptura & omnia Fidei Symbola conclamant, Chriſtum poſt mortē ad inferos deſcendiſſe, & poſt ſuam reſurrectionem ad cœlos aſcendiſſe, non quidem ſecundùm diuinitatem, ſed ſecundùm humanitatem, ſecundùm quam Chriſtum tunc nondū in cœlis fuiſſe Patres omnes ſimpliciter & abſq; diſtinctione ulla cōteſtantur. Vnde ſic ait Cyprianus: Aſcendit ergo ad cœlos, non ubi Verbū Dei antea non fuerat, quippe qui erat ſemper in cœlis, & manebat in Patre: ſed ubi Verbum caro factū non ſedebat. Et Grego. Cùm Chriſtus per humanitatem aſcenderet in cœlum, per diuinitatem terram pariter continebat & cœlum.

Augu. ad Darda. Hieron. Beda. Theop. Haymo. Sedulius. Anſel. gloſſa in Eph. 4. Cypria. in expoſitione Symb. idē quoq; habes in Symb. Ruffini. Gregor. Home. Mar. 16.

85. Quare uniuerſus Patrū chorus, locū illum Ioā. 3. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo: nō aliter exponit, quàm Filium hominis ratione deitatis, propter idiomatum in perſona communicationem, tum temporis in cœlis fuiſſe, cùm adhuc in terris nobiſcum uerſaretur: quemadmodum etiam propter eandem ἰδιωμάτων κοινωνίαν, Deus paſſus, mortuus & ſepultus rectè dicitur. Hinc Auguſtinus: Secundùm hominem in terra erat, non in cœlo ubi nunc eſt, quando dicebat: Nemo aſcendit in cœlum: quamuis ſecundùm quòd Filius Dei erat, eſſet in cœlo, ſecundùm uerò quòd Filius hominis erat, adhuc eſſet in terra, nondúmq; aſcendit in cœlum. Et Chryſoſtomus: Filium hominis hoc loco non carnem, ſed à maiori ſubſtantia totum ſe ipſum, ut ſic dicam, intelligit. Hic namq; ei mos eſt, ut nunc à diuinitate, nunc ab humanitate totum nuncupet. In eundem quóq; ſenſum Beda loquitur:

Ioan. 3.

De præſentia dei ad Dard. & tract. 12. ſuper Ioan. ſic ait: Ecce hic erat, & in cœlo erat: hic erat carne, & in cœlo erat diuinitate, imo ubiq; diuinitate. Idem ſermo. 27. ſuper Ioan. & Pſal. 75. Homil. 26. ſuper Ioannem.

Non

Non, inquit, caro Chriſti deſcendit de cœlo, neq; ante tempus aſcenſionis erat in cœlo, niſi quia una Chriſti perſona eſt in duabus exiſtens naturis. Damaſcenus etiam eiſdem conſentit, dicens: Popter unitatem perſonæ Filius hominis ante paſsionē ſe in cœlis eſſe cōfeſſus eſt. Et Fulgentius: Vt immenſitatem diuinitatis ſuæ in terra poſitus demonſtraret, & ſecundùm hominem, quem ſuſceperat, in terra poſitus, ſecundùm Deū, quòd ſemper erat, prȩſentem ſe etiam cœlo doceret, ait: Nemo aſcendit in cœlum &c. Non quia humana Chriſti ſubſtantia ubiq; fuiſſet diffuſa, ſed quouiam unus idémq; Dei Filius atq; hominis filius, uerus Deus ex Patre, ſicut homo uerus ex homine, licèt ſecundùm ueram humanitatem ſuam localiter tunc eſſet in terra, ſecundùm diuinitatem tamen (quæ loco nullatenus continetur) cœlum totus impleret & terram. Hæc ille. Idem Theophilactus & reliqui tam Græci quàm Latini interpretes ſentiunt.

Ioan.3. Lib.3.cap.3. Lib. de immenſitate diuinitatis Filij Dei.

86. Hic iam eſt operæprecium meminiſſe lectorem, quòd Schmidelinus ipſe rectè & uerè, Lyrinenſis perſonam indutus, præfatur, horrendum peccatum eſſe, ſi quis noui dogmatis autor exiſtat uel propagator, cuius Chriſtum, Apoſtolos & Prophetas non habet autores. Quantò igitur eſt hoc crimen & piaculū execrabilius o Schmideline cenſendū? quòd tu cum paucis nouum & tot ſeculis inauditū dogma contra Chriſtum, Prophetas, Apoſtolos & omnes Doctores inuehis atq; propagas: nempe Chriſtum non ſolum ratione diuinitatis, ſed etiam ratione humanæ naturæ corporaliter ubiq; præſentem adeſſe: cùm hactenus

Theoph. gloſſa int. Eurymius, Rupertus, Cyril. in Ioan.3. Hilarius.10.de Trin. Alcuinus lib.3. de Trin.cap.13. Anſel.in Eph. 4.&c. Bernar.Serm.18. & 19. In præfatione.

orthodoxi omnes unanimi cõſenſu, unum hoc ratio- ne ſolius diuinitatis Chriſto attribuendum eſſe docue- rint, expreſſéq; dixerint eum ſecundum humanitatem non eſſe ubiq; præſentem.

87. Verùm ut nonnulla Scripturæ loca à nobis alla- ta, & iuxta ſanctorum Patrum ſenſum explicata, per- uertat, forſan ad illam triplicis diſtinctionis, quam cõ- Theſ. 35. ſtruxit, arcem, confugiet. Vult enim unius eiuſ- démq; corporis Christi triplicem eſſe conſideratio- nem, unam Phyſicam, qua ipſum naturalibus pro- prietatibus & affectionibus ſubiectum fuit, quod pati- Theſ. 36. bile, inquit, appellamus, & eo modo non ubiq; præ- Theſ. 35. ſens eſſe fatetur. Alteram, qua corpus Chriſti iam eſt Theſ. 37. & dicitur impatibile, ratione gloriæ, ſed ne hoc qui- dem modo ubiq; illud exiſtere aſſeuerat, ſed in cœlo Theſ. 35. duntaxat. Tertiam Maieſtatis, qua corpus in diuinita- tis conſortium aſſumptum, in pari gloria eſt, & Maie- ſtate cum Verbo, à quo in unitatē perſonæ aſſumptū Theſ. 38. eſt, & hac ratione omnibus rebus eadem Maieſtate, qua diuinitatē, corpus Chriſti præſens adeſſe decernit.

88. At incaſſum laborat noſter Vbiquetarius, in hac noua diſtinctione fabricanda, ſiquidem ea conſiſtere non poteſt, cùm illam Maieſtatis unionem, unde ſuam illam tertiam conſiderationem deducere conatur, quò aperta ſacræ Scripturæ teſtimonia facilius deprauet atq; eludat, ſatis perſpicuè iam ante oſtenderimus, falſam & ineptam eſſe: Patribus uerò tam recentiori- bus, quàm uetuſtioribus hactenus incognitā prorſus & in auditam eſſe. Atqui in rebus tanti momenti ma- ximéq; ad fidem pertinentibus, nulli fas ſit nouas pro arbitratu

arbitratu ſuo diſtinctiones fingere, aut ſacram Scri⸗
pturam, ut Beati Clementis uerbis utamur, ſecundùm Epiſt. 5.
proprij ingenij intelligentiam legere aut docere, ſed ex
Patrum traditione. Etenim non pauca uerba paſsim
in Scripturis occurrunt, qui trahi poſſunt ad eum ſen⸗
ſum, quem ſibi unuſquiſq; ſpontè præſumpſit. Sic Cle⸗
mens. Imò, ut ait Cyrillus, & experientia ipſa apertè cō⸗ Epiſt. ad Paulum
monſtrat, Hæretici omnes de Scripturis diuinitus in⸗ Antioch. recitata in Calced. Synod.
ſpiratis, erroris ſui colligūt occaſiones, & ea, quæ à Spi⸗
ritu ſancto dicta ſunt, ſua malitia corrumpunt.

89. Ad rem redeamus. Si ex unione illa hypoſtatica
Chriſtus Dominus hoc eſt conſecutus, ut rebus om⸗
nibus ſecundùm humanitatem præſens adeſſet, ergo
priuſq; in ultima illa cœna Euchariſtiā confeciſſet, cor⸗
pus & ſanguis ipſius, in pane & uino præſentia conti⸗
nebant, ut nunc in Sacramēto Euchariſtiæ cōtinentur:
cùm panis & uinum ante uerba cœnæ prolata, res quæ⸗
dam eſſent. Quocirca ſecundū huius Vbiquiſtæ ſen⸗
tentiā, qui corpus & ſanguinem Chriſti in Sacramento
Euchariſtiæ cum ſubſtantia panis & uini ſimul eſſe
confingit, corpus & ſanguis Chriſti, non aliter nunc
in Euchariſtia eſſent, quàm fuiſſent, etiamſi uerba cœnæ
Dominicæ nunq; à Chriſto eſſent pronunciata.

90. Id autem quis unq; dicere uel cogitare auſus fuit
præter hunc Vbiquiſtam? qui Lutherum tot ſectarū
Antiſtitem & Magiſtrum ſecutus, ut ipſe teſtatur, Ad Lectorem
ueritus non eſt, tantam & tam inuſitatam blaſphe⸗
miam, contra uniuerſam Eccleſiæ Catholicæ traditio⸗
nē effutire. Et gloriatur adhuc, in illo ſuo Vbiquèitatis
commento Lutherum non parui pendendum robur
ſententiæ

ſententiæ ſuæ poſuiſſe, eundémꝗ conſtanter affirmaſſe, uel ea ſola Vbiquëitate, uerã corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam aſſeri & confirmari poſſe, ſi maximè uerba cænæ nunꝗ à Chriſto dicta eſſent.

91. Quid mirum uerò ſi nouator iſte nihil ibi abſurditatis animaduerterit, qui non modò in pane & uino, uerum etiam in hordeo & fœno & quibuslibet rebus, licèt uiliſsimis (quod pudor eſt referre) eodem modo corpus & ſanguinem Chriſti adeſſe, ſicut in Sacramento Euchariſtiæ cõminiſcitur. Verum faceſſat impietas, non ut fœnum uel hordeum, iumentorum pabulum, pij omnes habent Euchariſtiam, quam ut pa-

Ioan. 6. Pſal. 77. nem uiuum, qui de cœlo deſcendit, Angelorum cibũ, diuinis honoribus cum ſancta Eccleſia ſummo iure proſequuntur.

92. Tandem utcunꝗ imaginetur, & ſamniando ſenſa ſua interpretetur, tueri tamen nulla ratione poteſt, corpus Chriſti, & ubiꝗ corporaliter præſens adeſſe, & uero Phyſicóꝗ ac corporeo motu moueri, cùm id tantùm corporeo motu ferri agitariꝗ dicatur, quod ex uno loco tranſit in aliũ, ubi prius nõ erat corporaliter.

93. Sed nec ullo etiam modo fieri poteſt, ut idem Chriſti iſti corpus in uno eodémꝗ loco circumſcriptũ ſit & incircumſcriptum, definitum & indefinitum uiſibile & inuiſibile, patibile & impatibile, quod tamen iſte Neotheologus, modò ſibi conſtet, fateri cogitur.

94. Adhæc ne fingi quidem, animóue cõcipi poteſt, corpus Dominicũ ante Chriſtum paſſum in pari gloria & Maieſtate cũ Verbo ubiꝗ fuiſſe, & nihilominus pati & mori potuiſſe. Quomodo enim id, quod dolori,

paſsioni,

paſsioni, morti, cæteriſq; humanis miſerijs obnoxium eſt, eâdem cum Verbo, gloria & Maieſtate præditum eſſe, aut dici queat?

95. Quòd ſi dixeris, ante reſurrectionē corpus Chriſti non fuiſſe in omnibus rebus eâdem Maieſtate & gloria, qua Verbum, conſequens eſt, ante reſurrectionem corpus Chriſti non fuiſſe cum diuinitate hypoſtaticôs unitū, ſi quidem, ut tu ſomnias in gloriæ & Maieſtatis communicatione unio hypoſtatica conſiſtit. Alterum itaq; Schmideline ex duobus aſſeras oportet, aut corpus Chriſti ante paſsionem æquali gloria & Maieſtate cum Verbo præditum fuiſſe, quod alicubi haud obſcurè doces, aut ipſum ante reſurrectionem Theſi. 55. cum Verbo non fuiſſe unitum hypoſtaticôs: utrumq; autem impium eſt & hæreticum.

96. Quocirca qui aſſerit cum iſto Vbiquetario ac pertinaciter defendit, corpus Chriſti à conceptionis ſuę tempore, ubiq;, hoc eſt, in cœlis, in terra, & in inferioribus terræ partibus, eâdem Maieſtate & gloria, qua diuinitatem, corporaliter ubiq; ſemper præſens fuiſſe, is re uera negat Chriſtum ſecundùm humanam naturam nouem menſibus in materno utero fuiſſe concluſum, & ex eodem in hanc lucem æditum, negat eum paſſum, in crucem ſublatum, mortuum, ſepultum, iterúmq; ex ſepulchro ſuſcitatum, negat eundem ipſum ad inferos deſcendiſſe, & inde reuerſum ad cœlos aſcendiſſe, negat demum ad iudicandum uiuos & mortuos tandem aliquando rediturum.

97. Nos igitur cum Epheſino Concilio Chriſtum, In Epiſt. ad Neſt. ut Deum, omnia replere & repleuiſſe dicimus, etiam

H cum

cum adhuc paruulus eſſet. Nam quod diuinum eſt, ſine quantitate & mole eſſe agnoſcitur. At ſecundùm humanitatem Chriſtum ubiq; eſſe uel fuiſſe, cùm toto ſanctorum Patrum ordine pernegamus.

98. Nec ideo tamen quòd Chriſtum ſecundùm corpus ubiq; eſſe inficiamur, conſequens eſt, eum facta noſtra, noſtráſue cogitationes ignorare, aut ſecundùm humanitatem aſſumptam apud Deum & Patrem pro nobis non intercedere, aut nullam rerum noſtrarum curam gerere. Quin imò licet abſens corpore ſit, ita tamen perfectè in ſua diuinitate, quæ nuſq; deeſt, noſtra omnia nouit ac perſcrutatur, ut nihil eum latere queat, nec ſecus [a] ꝓ nobis interpellat, noſtráq; gubernat & [b] quæ ad ſalutem noſtram faciunt, procurat & operatur, ac ſi corpore præſens adeſſet.

99. [c] Sed nec ipſe ſolus rerum humanarum, tametſi abſens corpore ſit, cura tangitur, uerùmetiam Sancti & Beati omnes ad paternam hæreditatem iam admiſsi, pro nobis intercedunt, quicquid ueteres & noui Vigilantiani obſtrepant, reſq; noſtras multo melius ac fœlicius procurant, quàm ſi corpore eos præſentes haberemus.

100. Vbi nobis prætereundum non eſt quod alicubi Schmidelinus ita loquitur. *Humanitas Chriſti eadem Maieſtate res præſentes habet, rebúſq; præſens eſt, qua Diuinitas, & ſi alio modo fiat in Diuinitate, quàm in humanitate, quia humanitas manet creatura:* Hæc ille. Qui cauto ſilentio tegit, quis nam ille modus eſſet, uidebat enim Deum non aliter ubiq; præſentem exiſtere,

Cypria. in expoſiti. Sym. Athan. diſput. cōtra Arrhium. Ambro. lib. 2. de Fide ad Gra. c. 4. Gregor. Nyſ. Tomo 12. cōtra Eu. Aug. ſt. de præſe. Dei ad Dardanū. Tract. 12. ſuper Ioan. etc. Gregor. Nazian. Epiſt. ad Celedo. Gregori. 1. Hom. Mar. 16. Maxim. diſpu. cum Pyrrho. Pe. la Ioan. 3. Theophy. Ioā. 3. Caſsio Pſa. 138. Euth. Rup. Ioā. 3. Alcuin. lib. 3. de Trinit. c. 13. Anſelm. Ephe. 4. Damaſc. lib. 1. c. 17. & 3. c. 3. Ruffi. in ſuo Symbolo. Bern. Ser. 18. 19. Fulgentí. lib. de immenſitate Filij Dei etc. Pet. Lombar. 3. libro d. 22.

a Rom. 8.
b Hebr. 7.
c Conc. Turon. 1. c. 13. in reſcripto Ioan. Hieroſ. Epiſ. & Epiſ. qui ſub illo ſunt recitato Syno. Cōſt. 2. act. 1. & Martian. ibidem Cōc. Calibonen. c. 1. 6. Synodo, actione 13. in Liturgia Sancti Iacobi. Baſilij. Chryſoſtomi etc.

Theſ. 38. 39.

ſtere,

ſtere, quàm illimitatum, & incircumſcriptum, totum in toto mundo,& totum in ſingulis eius partibus,quo omnino modo humanitatem ubiq; præſentem eſſe prius aſtruxerat. Quare non alio modo humanitatem omnibus rebus adeſſe,quam diuinitatem,ex eius principijs rectè concluditur.

101. Illud autem diuina quadã prouidentia effectum uideri poteſt,ut ad explicandam ſuã illam humanitatis Chriſti Vbiquëitatẽ, nullius Patris ſententiam aut exemplum attulerit,præterq; unius Auguſtini,qui iſtum ex profeſſo errorẽ impugnat atq; refellit. Vnde & nullum iſte citat locum peculiarem, ubi Auguſtinus hoc doceat, quod ipſe illi falſò tribuit, ſed tantùm allegat Lutherum ſic aſſerentem. Theſ.41. De præſentia dei ad Dardanum.

102. Oſtendimus hactenus ex ſacris literis,Concilijs, Patribúſq; & totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſu,quid ſit hypoſtatica naturarum in Chriſto unio, quantáq; Chriſti Maieſtas & eminentia,unde manifeſtè deduximus,Chriſtum ſecundùm corporalẽ humanitatis præſentiam non eſſe omni in loco, eadem Maieſtate, qua Deus: id quod Schmidelinus Vbiquetarius,tanq; accommodatiſsimum omnis erroris et abſurditatis operculum,ex falſa hypoſtaticę unionis intelligentia impetitiſsimè colligebat.Illud unum ſupereſt explicandum, ubi nam locorum Chriſtus Saluator noſter ſecundùm præſentiam corporalem contineatur.

103. Quod ut facilius expediamus, primùm omnium, corpus Chriſti bifariam conſiderari poſſe meminerit lector: Vno quidem modo ut uiſibile & circumſcriptum eſt, ea nimirum forma, qua Chriſtus in hoc

mundo conuerſatus & in cœlum aſſumptus eſt. Alterò uerò ut inuiſibile & incircumſcriptum, qua ratione ſpiritale quodammodo dici poteſt. Nam licèt uerum corpus ſit, & idem planè numero, cum illo quod nunc in cœlis à Beatis conſpicitur, tamen ſic cõſideratum neq; uidetur, neq; in loco eſt, ut res corporales eſſe ſolent.

104. Priori modo in cœlis tantùm Chriſtus Dominus modò habitat, non quidem totius cœli ambitum ſuo corpore implens, non enim dilatatur neq; in immenſum diffunditur, aut multiplicatur, huiuſmodi enim humani corporis ueritati omnino aduerſantur,

Theſi. 37. ut etiam hic Autor aſſeuerat, ſed certam quandam cœli partem ſecundùm quantitatis ſuæ modum occupans, quemadmodum & cętera Beatorum corpora olim occupabunt.

2. lib. cõtra Max. 105. Huc ſpectat, qđ alicubi dicit Auguſtinus, Chriſtus (inquit) uiſibilem hominis formam accepit, non ſolùm natus in ea, ſed etiam aſcendit in cœlum & ſedet

De preſentia Dei ad Dardanum. ad dexteram Patris in ea. Et alibi: Chriſtum Dominum ubiq; præſentem eſſe non dubites, tanq; Deum, & in loco aliquo cœli propter ueri corporis modum, Atq; hoc eodem modo Scripturæ & Sancti omnes loquuntur cùm Chriſtum in cœlis tantùm exiſtere, aut circumſcriptum eſſe aſſeuerant.

106. Conſtat mediocriter eruditis cœlum illud Beatorum domicilium, locum eſſe corporeum, & ſicut cætera corpora quantitate affectum, quamuis qualitatibus illis deſtituatur, quæ locum Phyſicum conſtituunt atq; naturalem. Quapropter uel inuitus aduerſarius fateatur neceſſum eſt, in cœlo locum eſſe,

non

non quidem Phyſicum ſeu naturalem, ſed Mathematicum & cœleſtem, niſi dicere maluerit, Beatos omnes nuſq; eſſe, qui nō alibi quàm in cœlo illo continentur.

107. Nec tamen Chriſtum cæteróſq; beatos uni cœli parti, ueluti conchas marinas, ſcopulis affixos, aut ueluti ſtipiti alligatos teneri exiſtimabimus, hæc enim cōditio miſerrima foret, & cum glorificatorum corporū fœlicitate planè repugnans, tantum abeſt ut hoc illis proprium ſit & neceſſarium, ut noſter Vbiquiſta ſomniat. Sed pro liberrima uoluntate ſua cœlites moueri poſſe, & interdū etiam moueri intrepidè profitemur. Cuius modi autem motus talium corporum ſint futuri, temerè definire (inquit Auguſtinus) non audeo, quod excogitare nō ualeo: tamen & motus, & ſtatus ſicut & ſpecies ipſa decens erit. Certè ubi uolet ſpiritus, ibi protinus erit corpus, nec uolet aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritum poſsit decere nec corpus. Hæc Auguſtinus. Ad Lectorem. Lib. 22. de Ciuitate Dei. c. ult.

108 Sanctorum porro fœlicitati nō repugnare quòd in loco ſint aut de loco in locum moueantur, ex eo liquet, quòd quocunq; tandem ferantur, priuari non poſſunt ſummo æternóq; bono, Deo ſcilicet, quem intra ſeſe poſsident fœliciſsimè.

109. Hinc eſt quod ſcriptura ſacra teſtatur, adminiſtratorios illos ſpiritus, in miniſterium aliquod miſſos, ad nos ſæpe deſcendere, & nobiſcum manere eos, qui noſtræ cuſtodiæ ſunt addicti, Chriſtum præterea Saluatorem noſtrum, poſt reſurrectionem ſuam, cùm iam perfecta ſimul animi & corporis beatitudine poti- retur, toto quadraginta dierum ſpatio in hoc mundo Hebræ. 1. Gene. 15. Tobi. 3. &c. Lucæ. 1. 2. &c. Actor. 1.

 hæſiſſe,

hæſiſſe, uarijſq; in locis apparuiſſe, & tandem ad cœlos
Math. 27. aſcendiſſe: Tum multa corpora ſanctorum cum Chri-
ſto reſuſcitata in ſanctam Hieruſalem introgreſſa eſſe
legimus, quos tamen, ideo beatitudinem aut non ha-
buiſſe, aut habitã, uel ex toto, uel ex parte amiſiſſe, ne-
mo unq; rectè putabit. Et hæc ſatis de priori corporis
Chriſti conſideratione dicta ſint.

110. Quantum uerò ad poſteriorẽ cõſiderationem
attinet, certa fides eſt & ſana confeſsio Orthodoxorũ,
non nouum aliquem Deum, aut ex pane aut uino fa-
The.75. bricatũ (ut Schmidelino fingere libet) ſed illud ipſum
Math. 26. Mar. 14. Chriſti corpus, quod pro nobis traditum eſt, quódq; in
Lucæ. 22. Ioan. 6. cœlis uiſibile eſſe diximus, in ſacroſancto quoq; ac di-
1. Corin. 11. Conc. Nicænũ. 1. uiniſsimo Euchariſtiæ Sacramento, inuiſibile tamen,
Epheſinum. 1. Latera. incircumſcriptum, indefinitum, id eſt, non localiter, ſed
Floren. Conſtan. Triden. &c. Sacramentaliter, (ut dicunt) ueriſsimè contineri, ibi-
demq; manere, donec ſpecies ſacramentales conſu-
mantur.

Præterimus conſultò, ne ſimus longiores, reliquas Schmidelini tam abſurdas quàm impias opiniones, quas ex præclaro illo Vbiquitatis fundamento colligit atq; deducit. Multa ille in ſacroſanctam Euchariſtiam horrenda & blaſphemia euomit. Multas in Eccleſiam Catholicam, Catholicæq; fidei Profeſſores detorquet calumnias, ſed magis ex more ſectæ & Lutheri lacunis, quàm ut noui aliquid adferat. De quibus non attinet repetere, quæ multi & docti Theologi ſæpe aduerſarijs reſponderunt. Nobis propoſitum fuit ea, quæ ad Chri-

ſti Maie-